DE PRIMA EXPEDITIONE
ATTILAE REGIS HVNNORVM
IN GALLIAS
AC
DE REBVS GESTIS WALTHARII
AQVITANORVM PRINCIPIS
CARMEN EPICVM SAECVLI VI.

EX CODICE MANVSCRIPTO MEMBRANACEO OPTIMAE NOTAE
SVMMA FIDE DESCRIPTVM, NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODVCTVM,
ET OMNI ANTIQVITATVM GENERE, INPRIMIS VERO MONVMENTIS
COAEVIS, ILLVSTRATVM ET ADAVCTVM

A

FRIDERICO CHRISTOPHORO IONATHAN FISCHER

ICTO HALLENSI.

LIPSIAE
SVMTIBVS E. B. SVIKERTI
CIƆIƆCCLXXX.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO PERILLVSTRI

EXCELLENTISSIMO AC GENEROSISSIMO

DOMINO

EWALDO FRIDERICO AB HERZBERG

DYNASTAE IN PRIZEN ETC. ETC.

SERENISSIMI ATQVE POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS
ADMINISTRO STATVS ET SECRETIORVM CONFERENTIARVM
CETERA.

IN

BIBL. ... ROMA

TESSERAM PIETATIS

MONVMENTVM OBSERVANTIAE

ET

AETERNVM GRATAE MENTIS

OPVSCVLVM HOC

SEQVE IPSVM

OFFERT ATQVE DEDICAT

SIMVLQVE

PRO SALVTE ET PERPETVA

VIRI PERILLVSTRIS

FELICITATE

PIA VOTA NVNCVPAT

CLIENS ET CVLTOR OBSEQVIOSISSIMVS

FRIDERICVS CHRISTOPHORVS IONATHAN FISCHER

STVTTGARDIANVS.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAEFATIO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

In vniuerſa recentiore hiſtoria, illud tempus, rerum geſtarum grauitate, prae caeteris eminere mihi videtur, quo primum a barbaris gentibus in imperium Romanum facta eſt irruptio. Maxime vero me mouet Attilae et prudentia et virtus. Nam cum ante eum Barbari, Romanis finitimi, (vno Alarico excepto, cuius tamen bella temerarii potius conflictus quam bella fuerunt;) in extremis potentiſſimi huius Imperii finibus veluti haeſiſſent; ille, bene intelligens, Romanorum mores eſſe valde corruptos, diſciplinam eorum militarem iacere, denique totum reipublicae ſtatum eſſe ſumme deprauatum, interiores huius imperii regiones hoſtibus iam patere, exiſtimauit. Quam ob rem victorias ſuas vsque ad vrbem, quae fuit caput imperii, perſequutus; exemplo docuit, ad vaſtum iſtud regnum delendum hucusque nil, niſi conſilium defuiſſe atque audaciam. Athaulfus, Alboinus, Theudericus Oſtrogothus, cum Theudeberto Auſtraſienſi hanc viam ipſis monſtratam diligenter ſecuti ſunt. Atque etiam Carolus Magnus expeditionibus ſuis fines ponendos non cenſuit, vsque dum imperii Romani dignitatem ad Germanicas, quibus ipſe imperabat, ciuitates transtuliſſet. Sed, quamquam maxima ſuo tempore floruit gloria iſte Hunnorum Attilas, ſingulá tamen, quae pertinent ad eius victorias et varias rerum ab eo geſtarum cauſas, nunc quidem omnino neſcimus. Enimuero non minus, quam alii, qui primo loco haberi merentur heroes, in eo ſummo ſtudio erat occupatus, vt ne ſuperſtitionem finem et modum transire pateretur; immo vero etiam a ſacerdotibus opes, plebi ereptas, extorqueret. Quo quidem et factum eſt, vt triſtiſſimam illam ſortem experiretur, cuius, quaecumque illorum hominum perſecutio, fons eſt. Infimae enim conditionis monachi, turpiter ei obtrectantes, memoriam eius variis modis apud plebem inquinabant. Nec eo ſibi ſatisfecerant, nomini eius infamiam inuſſiſſe, quod ipſum humani generis flagellum dicerent, ſed et omnia ea maligne delerunt, quae animi liberalitatis et ingenuitatis monumenta exſtare resque ab eo geſtas contra quascumque calumnias defendere potuiſſent. Hinc illius temporis, quod tanti momenti eſt ad aetatis noſtrae culturam rerumque publicarum notitiam, praeter pauciſſima fragmenta hiſtorica eaque maxime imperfecta, ad nos quidem nihil peruenit. Adiunguntur iis praeterea perabſurdae miraculorum fabulae, quibus quidam ſancti, (vt appellare ſolent,) eius expugnationes inhibuiſſe feruntur. Accedunt denique inſenſae atque inimicae immanitatis narrationes, quam, etiamſi adhibita eſſet, in tanta militum, natura ferocium, multitudine, impedire non potuit. Quod vero ad ipſas res attinet, quae acciderunt, quoque modo cum finitimorum populorum hiſtoria coniuncta fuerint, nusquam accurate et copioſe narratur: nec vllibi datur deſcriptio, quae doceret, quomodo Europae respublicae hoc tempore fuerint conſtitutae, quosue et quales in humanitatis cultu progreſſus fecerint. Omnino, communes tantum regni commutationes, tam breuiter, quam obſcure

Digitized by Google

narratae et ab vna modo parte conſideratae, neglectis plerumque fontibus earum, mirabilium ſane, nobis relictae ſunt. Qua de re, quid eſt, quod tanti aeſtimari mereatur, quanti quoduis monumentum, quod, quae ad eiusmodi aetatem, caligine et tenebris quaſi inuolutam pertinere videantur, ea nos accurate docet; quodque monſtrat, quae ſit prima morum noſtrorum conditionis origo; quo innoteſcunt inſtituta et conſuetudines, quae, quamquam nunc quidem peregrinae ſunt et a nobis alienae, ſua tamen praeſtantia et integritate nos mouent et delectant, quin immo, primam humani generis conditionem et ſtatum notum nobis reddunt atque familiarem? — et, quod ſummum eſt, quo priuatus haud inferior iis excellentibus viris, qui populos in ſuam poteſtatem redegerunt, apparet, ita, vt eius familiae arcana videre atque prima virtutis exempla intueri poſſimus.

Iam vero eiusmodi monumentum, repertum eſt eo tempore, cum de Bauarica ſucceſſione haereditaria orta eſſet controuerſia, cuius dirimendae cauſa tot archiuis perluſtratis, tot monumentis examinatis atque conſultis, (quid mirum?) permulta, eaque grauiſſima in lucem prodierunt documenta. Codex nimirum Seculi XIII. isque membranaceus mittebatur, ex quodam coenobio, in Bauaria ſito, ad regium Britannicarum legationum conſiliarium Dominum de Mosheim, illius cancellarii, qui Gottingae quondam vixit atque aeternam de hiſtoria eccleſiaſtica gloriam conſecutus eſt, filium, iam Stutgardiae florentem. Quem cum ad me permiſiſſet, mihi perluſtranti, praeter varia diuerſae aetatis collecta, partim ſcripta auctorum claſſicorum, partim primorum patrum eccleſiae, acta, et cancellariae pontificialis formulas, epos ſe offerebat, latino ſermone compoſitum. Id autem, cum offenderem inter Ciceronis fragmenta et Boethii conſolationes philoſophicas, omnem animaduerſionem meam excitaſſe, non eſt, quin profitear. Equidem, ſimulac id exſcripſeram, illa, quae ad res eius generis requiritur, cura et diligentia adhibita, theſaurum litterarium, ita praeſtantem ſub manibus meis accumulatum; hiſtoriam totius Europae ita auctam mirabilemque ad reliquos auctores claſſicos vtilitatem inde profectam eſſe, valde admirabar. Caeterum, vt de materia, quae tractatur, pauca dicamus: prima Attilae bella, quae contra Gallicas, et reliquas finitimas ciuitates geſſit, depinguntur, narraturque eorum hiſtoria, cuius quidem in monumentis hiſtoricis, aut nulla plane facta eſt mentio, aut ita, vt falſa ſit chronologia. Ad vltimum vero fit narratio rerum a Vualthario, Aquitaniae principe, regio ſanguine nato, geſtarum. Ipſum auctoris nomen nusquam laudatur, ac, vel Polycarpo Leyſero a) fuit ignotum. Fuit autem, quod conſtat, monachus, ab origine ſtirpis Celticae generatus, Venantii Fortunati et Corippi Africani aequalis, et, vt veriſimile eſt, ad finem Seculi VI. vixit et ſcripſit. Quae autem tradidit, ita ſunt conſtituta, vt fundum priſcae alicuius traditionis et a maioribus acceptae narrationis prodere videantur. Atque ea quidem, cum ex ipſo carmine colligantur, in commentario, quem de eo conſcripſi, inquirere et exponere ſtudui.

De ſolertia autem poetae et ingenii acumine deque rerum exponendarum ornandarumque ratione, ſic, quantum video, iudicandum eſt. Poeta, etſi nullo plane deorum interuentu adhibito, nullis conſiliis aut machinationibus alicuius dei vſus, genuinam nobis ad modum Lucani dederit rerum geſtarum narrationem; orationis tamen dignitatem ſententiarumque pondus et ipſam Virgilii verſificationem imitatus eſt; quin immo, interdum vel integros Virgilianos verſus intexuit ſuis. Et, quamquam aegre poteſt negari, iis in locis, vbi verbis, origine ſua, Celticis, vſus eſt, et vocabula ſententiasque apud veteres Germanos vſitatas adhibuit, ſtylum eius

a) Hiſtoria poetarum et poematum medii aeui. Halae 1727.

Digitized by Google

barbarum inueniri: ea tamen aetatis ſuae vitia ſimilitudinibus exquiſitis et aptis vique declamatoria temperauit et emendauit. Id quod probatur magnanimi Francorum Haganonis exemplo, qui, cum videret Patauridum, nepotem, imberbem adhuc iuuenem, cum heroe Aquitanico, ferro depugnare velle, v. 854. multum ea de re conqueſtus eſt. Aquitaniae princeps Vualtharius, Cunthari, Francorum Ripuariorum regis filius, octo iam ex iis, qui eum comitabantur, milites in certaminibus ſingularibus interfecerat. Qua de re initium eſt conſilium, vt telo quodam, apud Francos vſitato, quod Ango appellare ſolebant, eum adorirentur; ſi forſan de opportuno loco, quem in ore ſpeluncae cuiusdam, montis Voſagi, occupauerat, deiici poſſet.

Erat autem hoc telum, quod Suidas, Euſtathius et Agathias deſcripſerunt, tridens, hamis inſtructus, qui emittebatur in hoſtem et vel in corpore haerebat, quo quidem non, niſi repentina et acerbiſſima morte inſequente, poterat expediri: vel tantum in ſcuto defigebatur, ita tamen, vt nullo modo poſſet auelli. Cum vero illius pondere ſcutum inflecteretur, fiebat, vt corpus omnibus modis vulnerari poſſet. Atque haec quidem eſt eius teli deſcriptio, quam habet Agathias Scholaſticus. Ex hoc autem noſtri poetae carmine patet, eiusmodi tridentes inſtructos praeterea fuiſſe funibus, quos ii, qui circumſtetiſſent, tenuerint, hoſtemque, cuius armis affixi iam fuiſſent, coniunctis viribus ad terram attraxerint. Ex quo quidem emergit, Ieſuitam Danielem, qui in Hiſtoria rei militaris Francigenarum ſolam Agathiae deſcriptionem ſequutus eſt, rei plane non ſatisfeciſſe, nunc autem temporis et meliorem et rectiorem poſſe dari delineationem.

Sed id, cum huc non pertinere videatur, admiremur potius quandam poetae noſtri ſimilitudinem. Vualtharium ſcilicet illo telo reuera hoſtes aggrediuntur, iisque contingit, vt medius ſcutus diffindatur tridensque in eo defigatur. Iam vero ſumma virium contentione, niſi in terram eum praecipitare, arma ſaltem ab eo abripere, ipſumque, quo ſe defendat, deſtituere conantur. Sed, fruſtra nituntur; immotus enim adſtat, vt poeta recte cecinerit:

„Sed tamen hic intra velut eſculus adſtitit heros,
„Qui non plus petitaſtra comis, quam tartara fibris,
„Contemnens omnes ventorum immota fragores."

Ac quidem in hac Homeri (Iliad. M. 131.) imitatione, nonne felicior fuit, quam Virgilius (Georg. L. II. v. 290.) et Silius Italicus? (Punic. L. V. v. 480.) Teſtor omnes, qui iudicare velint. Deinde autem ex v. 384 et 385. vbi doloris iraeque, qua de Vualtharii Aquitaniae principis iactura affectus erat Attila, imaginem oculis animisque ſubiicit, artem pernoſcendi iudolem hominis ex facie, ſaltem ex parte perceptam habuiſſe, apparet.

In commentario meo p. 30. locum verbis Scipionis Claramontis, qui ex Lauateri iudicio, ingenii ſagacitate multos antecellit, explicaui, vti et alium quendam ex Thorm. Torfaei Hiſtoria Noruagica laudaui, quo mirandum eius artis continetur exemplum. Plura exſtant apud Saxonem Grammaticum. b) Eiusmodi narrationes ſeptentrionalium populorum vulgo Sagae dictae,

b) *In Hiſtoria Daniae* L. II. p. 23. Tunc Suanhuita ſpecioſiſſimum lineamentorum eius habitum curioſiori contemplatione luſtratum impenſius admirata, Regibus te non ſeruis editum praeradians luminum vibratus eloquitur. Forma proſapiam pandit, et in oculorum micatu naturae venuſtas elucet. Acritas viſus ortus excellentiam praefert. Nec humili loco natum liquet, quem certiſſima nobilitatis index pulcritudo commendat. Exterior pupillarum alacritas interni fulgoris genium confitetur. Facies fidem generi facit, et in luculentia vultus maiorum claritudo reſpicitur. Neque enim tam comis tamque ingenua ſpecies ab ignobili potuit auctore profundi. Sanguinis decus cognato frontem decore perfundit et in oris ſpeculo conditio

cum leget Lauaterus, mirabitur, eam, de qua vel hodie dubitamus, ſcientiam, ad tantam perueniſſe maturitatem apud eos, qui primi nationis noſtrae expoſuerunt res geſtas. Quid autem vtilius, quid acceptius nobis accidere poteſt, quam naturalis maiorum noſtrorum ſimplicitatis veſtigia videre, eorumque morum integritatis exempla legere, qui, (quidni profiteamur?) aſperi nonnunquam videntur?

Vualtharii fidem, cui principem perſonam poeta impoſuit, firmam et conſtantem vt reddat, operam dat Attila. Ad eum autem finem conſequendum, ingentia Vualthario facit promiſſa et ſtudet ei Hunnicam virginem in matrimonium dare, quo teneatur. Ille autem, qui iam pridem de ſua fuga cogitabat, ea re prudenter ſe effudit, Attilaeque ſe excuſat, dicens: in tali viuendi rationis mutatione et ruris et rei familiaris cura ſe impeditum iri, quominus ſatisfacere poſſit officio ſibi mandato. v. 152.

> Aedificare domos cultumque intendere ruris
> Cogor. —

O amabiles et antiquos eius populi mores! vbi ſolii haeres non minus, quam ruſticus homo in agris colendis occupatus eſt. Inprimis autem iſtud Hunnorum conuiuium v. 287. eſt inſigne, propterea, quod ei, cui interfuit *Priſcus*, ille Byzantinus orator, cuiusque deſcriptionem nobis reliquit, magna lux affertur.

Nec minus locum v. 169. animaduerſione dignum puto, qui quoddam Hunnorum proelium repraeſentat.

Cum populus aliquis aut pacem peteret, aut victus eſſet, legatis non, niſi armis poſitis, ad victorem accedere licuit.

> 64. Ibant legati *totis gladiis ſpoliati*
> Hoſtibus inſinuant, quod regis iuſſio mandat.

Id pompae genus, c) quod nullus adhuc ſcriptor huius aeui animaduertit, depictum inuenitur in antiquiſſimis parietinis apud Montefalconium et Lancelotum.

Eius autem populi, qui cenſum promiſſum ſubire negabat, obſidibus, aeterna ſeruitudo imponebatur. v. 115.

Apparet iam torneamentorum imago, et verus quem propoſitum ſibi habebant, finis

natiua reſultat. Minime ergo tam ſpectati caelaminis ſimulacrum obſcurus opifex abſoluit.

Id. L. VII. pag. 141. Conſueuerat virgo hoſpitum vultus propius accedendo quam curioſiſſimo praelato lumine contemplari, quo certius ſuſceptorum mores cultumque perſpiceret. Eandem quoque creditum ex notis atque lineamentis oris conſpectorum perpendiſſe proſapiam ſolaque viſus ſagacitate cuiuslibet ſanguinis habitum diſcreuiſſe. Quae cum Olonem ſcrutabundis adgreſſa luminibus conſtitiſſet, inuſitato oculorum eius horrore perſtricta paene exanimis concidit. Ac vbi lenium redditus vigor, ſpiritusque liberius meare coeperat, rurſum iuuenem conſpicari conata lapſo repente corpore ceu mente capta procubuit. Tertio quoque dum clauſam deiectamque aciem attollere nititur, non modo oculorum motu certe etiam pedum regimine defecta ſubito lapſu cecidit. Adeo vigorem ſtupor hebetat? Conf. *Thom. Bartholin. Ant. Dan.* L. III. cap. 3. pag. 683.

c) *Tancmar. in Vita S. Berwardi* cap. 23. *ap. Leibn. ſcript. rer. Brunſwic.* p. 452. Cuncti primarii ciues — adſunt nudi, femoralibus tantum tecti, dextra gladios laeua ſcopas ad palatium praetendentes, Imperiali iure ſe ſubactos nil paciſci, nec ipſam quidem vitam, quos dignos iudicauerit, enſe feriat, vel pro miſericordia ad palum ſcopis examinari faciat. plura loca ex ſcriptor. omnis aeui vid. *in commentario.* p. 8.

Digitized by Google

comprobatur, vt ſcilicet ii, qui belli a natura haberent adiumenta, ab ineunte adoleſcentia conſuetudinem et exercitationem caperent.

v. 100. — Sed et artibus imbuit illos,
Praeſertimque iocis, belli ſub tempore, habendis.

Atque etiam prima inſignium gentilitiorum initia hic iam inueniuntur, quae arbitraria ſigna in ſcutis picta, quibus eminus diſtinguerentur et agnoſcerentur, fuiſſe, ſatis apparet.

v. 1269. Cuius ſi facies latuit, tamen arma videbas
Nota ſatis, habituque virum reſcire valeres.

Patet ex v. 916.

— — Ancipitem vibrauit in ora bipennem,
Iſtiusque modi Francis tunc arma fuere.

Francos ad finem ſeculi vi. bipenne vti deſiiſſe. Occurrit

v. 1014. In framea tunicaque ſimul confiſus aena;

vetuſta illa framea, cuius, praeter Tacitum, nullus antiquiorum ſcriptorum fecit mentionem.

Armatura Vualtharii fugientis haec eſt:

v. 330. Ipſeque lorica veſtitus, more gigantis,
Impoſuit capiti rubras cum caſſide criſtas,
Ingentesque ocreis ſuras complectitur aureis,
Et laeuum femur ancipiti praecinxerat enſe
Atque alio dextrum, pro ritu Pannoniarum;
Is tamen ex vna dat tantum vulnera parte.
Tunc haſtam dextra rapiens, clipeumque ſiniſtra,
Ceperat inuiſa trepidus decedere terra.

Iam hic P. Danielis errorem, qui in rei militaris Gallicae hiſtoriam irrepſit, praetermittere non poſſum. Iſte enim perſuaſum ſibi habuit, gladios Germanorum vetuſtiſſimos, ancipites nequaquam fuiſſe. Incurrit in hunc errorem adductus illo Rigordi loco: „habebant cultellos „longos, graciles, triacutos, quolibet acumine indifferenter ſecantes, a cuſpide ad manubrium, „quibus vtebantur pro gladiis.“ Hic vero auctor *triacutos* tantum cultellos, quibus in praelio apud Bouiniacum pro gladiis vtebantur Germani, admiratus eſt: vetuſti tamen gladii ancipite acumine inſtructi, ipſi non minus noti fuere. Ac veluti Romanorum milites, alterum latus enſe, alterum ſica ſolebant accingere, ſic et Germani, qui artem bellandi a Romanis didicerant eorumque armatura vtebantur, dextrum latus gladio, ſiniſtrum cultro armare ſoliti fuerunt. Id quod, cunctis antiquitatis monumentis variisque auctoribus comprobari poteſt. Cultelli proprio nomine *Sahs* appellati ſunt. Omnes autem gladii plerumque ancipites fuerunt, vt

Digitized by Google

claris verbis Suidas docet. Inde et Matthaeus Paris. gladium, vno tantum acumine inſtructum, comparat cum pugione aut potius cum cultro. Longi autem verones, quos nunc nouimus, primum in proelio apud Bouiniacum in conſuetudinem venerunt. Quod quidem gladiorum genus Rigordi admirationem neceſſario excitauit, quippe cum antea breuiores cultri in vſu erant, quibus hoſtis cominus, non eminus poterat transfigi.

436. Regalique Coco reliquorum quippe magiſtro
Detulerat —

Hic, vt arbitror, primum Archidapiferi Francorum facta eſt mentio.

Haec aetas ita adhuc bello aſſueta erat, vt Franci Rhenani nebulones dicerentur propterea, quod colerent agros.

553. Non aſſunt Auares hic, ſed Franci nebulones,
Cultores regionis.

Barbari maiores noſtri familiarum foederibus ita arcte coniuncti inter ſe erant, vt cuncti cuiuscunque domus vnius, vnus cunctorum ſaluti proſpicere deberet. Quodſi vni facta eſſet iniuria, tota gens offenſam ſe eſſe putabat, et illius vlciſcendae ſtudium erat commune.

Neque tamen omnes ſimul hoſtem perſequebantur, ſed ex ordine proximus quisque cognatus, vsque dum aut vita, aut placata eſſet iniuria. Inde et Scaramundus auunculum Kamelonem Francorum praefectum vrbis Metenſis in certamine ſingulari interfectum videns, dicit:

v. 684. Hic me prae cunctis heu reſpicit actio rerum;
Nunc aut commoriar vel carum vlciſcar amicum.

Antiquiſſimis temporibus, quamuis quaecunque crimina placabantur pecuniis, homicidium tamen expiari nequiuit, ſed ſanguinis vltio neceſſaria fuit. Vir Doctus Dominus Mayerus, Iurium Profeſſor in Vniuerſitate Tubingenſi, in hunc barbarorum maiorum noſtrorum morem diligenter et acute inquiſiuit, cuius conſectaria noſtro poeta cumulate comprobantur. Scaramundus ille ad certamen prouocans haec dicit:

696. Non ego iam gazam vel rerum quidque tuarum
Appeto, ſed vitam cognati quaero peremti.

Cuntharius enim rex Francorum Ripuariorum, Vualtharium, Aquitaniae principem, hanc ob rem hoſtiliter perſecutus erat, quod non modo theſaurorum Attilae extortorum, verum etiam Hildegundis foeminae, principis Burgundiae, quae eum comitabatur, vi potiri voluerat. Sed, cum in certamine quatuor iam ſuorum militum interfectos videret, his verbis reliquos adhortatur:

v. 710. Aggrediamur eum, nec reſpirare ſinamus,
Donec deficiens laceſſat et inde reuinctus
Theſauros reddet, luet et pro ſanguine poenas.

Sed, cum et his eadem ſors parta eſſet, Cuntharius vehementer iraſcitur, ita, vt omnia, quae aliquam vim perſuadendi habere videantur, corripiat et proferat, ad reliquos ad pugnandum excitandos.

945. — — — En ego partus
Ante mori ſum, Vuormaciam, quam talibus actis
Ingrediar. Petat hic patriam ſine ſanguine victor?
Hactenus arſiſtis hominem ſpoliare metallis;
Nunc ardete, viri fuſum mundare cruorem,
Vt mors abſtergat mortem, ſanguis quoque ſanguem.
Soleturque necem ſociorum plaga necantis.

Atque etiam Vualtharius hanc ſanguinis vltionem neceſſariam euitare cupit; Pataridum, immatura adhuc aetate iuuenem, vt a duello abſiſtat, hortatur.

v. 879. — — Cede duello
Ne, ſuprema videns, hoſtes facias mihi plures.

Et Scaramundo perſuadere ſtudet, ſe ſanguinis vindicta obnoxium non eſſe, quippe cum ipſe hoſtes nunquam aggreſſus, vitam tantum ſuam ab iis defendiſſet.

v. 699. — — Si conuincar, quod praelia primus
Temptarim,
— — Absque mora tua me transuerberet haſta.

Sed nimis longus eſſem, cum, quae illius aetatis mores nos doceant, ea omnia colligerem. Pauca potius de hiſtorica et geographica, quae ex hoc epico carmine proficiſcitur, vtilitate, dicenda mihi ſuperſunt.

Doctiſſimum Deguignes, cum ex *Sinenſibus* et *Arabicis* Manuſcriptis quae in regia bibliotheca Pariſienſi adſeruantur, antiquitatem regni Hunorum demonſtraret, litterarum periti valde admirabantur, propterea, quod rem incredibilem putaſſent, cui iam fidem denegare nequirent.

Rationes autem expeditas eſſe, docet poeta:

— — Gens Pannoniae
— — — —
Vltra millenos fertur dominarier annos.

Digitized by Google

De Attilae ingenio et animi dotibus, auctor modo laudatus, haec nobis tradidit. „Attila coluit virtutem quam maxime, in hoſtes autem inhumanus fuit et immanis. Quoties itaque cum illis res ei fuit, ſuperbum et arrogantem ſe praebuit, erga ſubditos autem humanitatem et clementiam exercuit. Pretioſis rebus et magnificentiae inimicus, eandem vxoribus et amicis ſuis conceſſit. Qui ipſius poteſtati erant ſubiecti, eos complexus eſt amore tenerrimo; audivit eos, quum quererentur iisque ſatisfecit, nec quemquam in poſſeſſionibus ſuis perturbari, nec pauperes ſupprimi paſſus eſt. Ad condonandum fuit paratiſſimus, nec ciuitatibus ſuis intolerabile tributum imperauit; alienis autem metum et horrorem iniiciendi ſumma flagrauit cupiditate: quod et ceſſit ex votis. In bello, quo ita delectatus eſt, vt nihil ſupra, fortitudine omnes anteceſſit ſine vlla temeritate. Summa cepit conſilia eademque perfecit. Hoſtibus ſuis monſtroſus et prodigioſus viſus eſt, qui quidem magnopere ſibi ab eo metuerunt, minus tamen aequi eius iudices fuiſſe videntur. Romae aut Byzantii heres et iudicatus et cultus eſt; in expeditionibus, cum occupatus fuit, immitem et crudelem eum hoſtes dixerunt."

In quo quidem et omnia ea conſentiunt, quae ex Priſco et Iornande huc pertineant. Poeta autem noſter in eiusmodi frigidis deſcriptionibus non moratur, ſed potius heroi ſuo dicentis et agentis perſonam imponit. Conf. v. 66. ſeq. et v. 99. ſeqq.

Dom. Kremerus, de hiſtoria bene meritus, omnia ea collegit, quae vnquam de veteris Franciae Rhenanae rebus poterant inueſtigari. Nihil profecto iucundius ipſi contingere potuiſſet, quam, ſi haec poetae noſtri carmina videre potuiſſet. Ex iis enim perſpexiſſet fines huius imperii prima ſeculi V. parte vsque ad Metem dilatatos eſſe, et ab hac quidem parte Spiram, Metem, Argentinam et montem Voſagum comprehendiſſe. Vuormatia erat caput imperii: poeta enim dixit:

— Vuormociam Regali ſede nitentem.

Quam quidem ob rem Dom. Morizio in hoc concedendum puto, quod hanc ciuitatem Comitis alicuius aut epiſcopi poteſtati nunquam ſubiectam, ſed potius regalem ciuitatem ſemper manſiſſe contenderet. Extitit quidem Comes Wormatienſis, ſed eius dioeceſis finitima tantum comprehendit.

v. 938. Hic in Wormatiae campis Comes extitit ante.

Mons Voſagus antiquitatibus et reliquis rebus cognitione dignis ſemper abundauit, vt ſummus Mabillonius operae pretium cenſuerit, eo proficiſci et omnia omni diligentia inquirere et conſignare. Animaduerſiones eius inueniuntur in Memoriis litterariis Pariſienſibus, ſed hunc terrae angulum parum nouiſſe videtur, quem v. 488. ſeqq. poeta noſter deſcripſit.

Caeteroquin nihil attinet diſceptare, quam Rheni partem tranſierit Attila, cum altera vice in Galliam irrumperet; certi enim quidquam hac de re afferre non poſſumus. Sed forſan res plana efficitur ex iis, quae de primo eius tranſitu memorata habemus. Auctor enim noſter ea diligenter tradidit. Sententia vero qua ad Germanorum fines tranſiiſſe putatur, debet

Digitized by Google

repudiari. Namque etſi primo petiit Wormatiam, tamen inde ſtatim reuerſus, Heluetiam percurrit flumenque Ararim Rhodanumque traiecit et recta via in Cabillonum irruit. Hinc transuerſe recedens, Aquitaniam perrupit Galliamque petiit.

Cabillonum ſedes erat imperii Burgundici, quod illo tempore ſub Herrico rege florebat. Plaga illa, quae 436. Burgundis illata eſt, quaque totum fere populum deletum eſſe, recentiores ſcriptores ſibi perſuadent, ad iſtos modo pertinuit, quorum ſedes, tum erat hodiernus comitatus Burgundiae et pars Alſatiae; totum autem regnum eo tempore labefactatum aut perturbatum plane non eſt. Nec audiendus abbas Duboſius qui arbitratur, Aquitaniam, poſteaquam Seculo IV. ab imperio Romano defecerat, liberam conſtituiſſe rempublicam. Quantum ex hoc noſtro auctore perſpicitur, quidam monarcha, nomine Alphenis ei imperavit. Celtica lingua in ea adhuc floruit, quod quidem eo euincitur, quod Saxonum Ekeurid Vualtharium Aquitanicum reprehenderet his verbis:

763. Celtica lingua probat, te ex illa gente creatum
Cui natura dedit reliquos ludendo praeire.

In poëmate haec Celtica verba occurrunt. Sergia, officium. Migma, obſonium. Tyrannus, Rex. Gauſape, mantile. Nappa, poculum. Tallus, patera. Edes, vagina. Framea, Lancea. Gemina, periſtromata. Vaſſus, ſeruus, et haec tria: Vuelandia, Viuo, Natore, quae, quid ſibi velint, non video.

Plurimis antiquiorum hiſtoricorum Franci a Troianis originem traxiſſe videntur; nec aliter ſe res habet in vetuſtis Sagis ſeptentrionalium. Vbique Virgilius citatur, tanquam primus rerum Francicarum Scriptor. Anonymus vero meus rem expeditiorem fecit innuens, vnam tantum Francorum ſtirpem fuiſſe, quae de Troiana origine gloriata fuerit, eandemque hac de re nobiliorem habitam.

26. Nobilis hoc Hagano fuerat, ſub tempore tyro
Indolis egregiae, veniens de germine Troiae.

Praeclari fratres Benedictini ex Congregatione S. Mauri ex quodam fragmento Runico, regis Hialmaris hiſtoriam continente, iudicari poſſe putabant, Thulen illam, veteribus celebratam, Thulemarkiam Noruegiae eſſe. Ii autem Thormodum Torfaeum non audiunt, qui iam principio ſeculi modo currentis huic ſententiae occurrit. Ipſi et omnibus recentioribus Islandia propria eius inſulae ſedes eſſe videtur. Sed hanc opinionem auctor noſter refellit, Thulen ex inſtituto vltra Scotiam et Hiberniam ponens.

v. 1129. Interea occiduas vergebat Phoebus in oras
Vltima per notam ſignans veſtigia Thilen,
Quae cum Scotigenis poſt terga reliquit Hiberos.

In quo quidem praeter Claudianum,

Digitized by Google

Incaluit Pictorum ſanguine Thule.

Seruius Honoratus Maurus et Iulius Pomponius Sabinus, ſcriptores parum nouiores, eum ſequuti ſunt; quorum hic ſimul docet vbi primum habitarint Hungari, et, quod iis cum Finnis et Lapponibus interceſſerit cognatio. Sed, ne ſatietas lectorem capiat, de argumento, et eo, quod mihi propoſitum habeo in commentariis meis, vbi coaeuis monumentis conſultis, non modo hiſtoriam emendaui, ſed etiam probationes attuli diplomaticas, et philologico-criticas, quibus carmini concilietur auctoritas, ipſumque in ambiguis, locis parallelis et illuſtraui et confirmaui, plura iam addere nolo.

Erant haec omnia formis iam deſcripta, cum nuper intelligebam, Ioanni Auentino carmen noſtrum non prorſus ignotum fuiſſe; immo, doctum hunc virum, duo priores eiusdem verſus ſecunda Parte *Annalium* ipſius *Boicorum* pag. I. 120. laudaſſe. Haec ad finem prooemii noſtri obſeruare ſatius exiſtimauimus, quam omnino rem ſilentio praeterire.

Digitized by Google

Tertia pars orbis, fratres, Europa vocatur,
Moribus ac linguis varias et nomine gentes
Diſtinguens cultu tum relligione ſequeſtrans.
Inter quas gens *Pannoniae* reſidere probatur,
Quam tamen et *Hunos* plerumque vocare ſolemus.
Hic populus fortis virtute vigebat et armis;
Non circumpoſitas ſolum domitans regiones,
Littoris Oceani ſed pertranſiuerat oras,
Foedera ſupplicibus donans ſternensque rebelles.

1. *Fratres*) Iſtud vero nomen (*frater*) a quo nunc Monachi tantopere abhorrent, et Religioſis duntaxat mendicantibus ſeruatum volunt, olim Monachos potiſſimum deſignabat, vti eorum temporum monumenta euincunt. *Muratorius in praefat. ad Ermoldi Nigelii Carmen de laudibus Ludou. Pii inter ſcript. rer. Ital.* Tom. II. P. II.

4. *Inter quas gens Pannoniae reſidere probatur,*

5. *Quam tamen et Hunos plerumque vocare ſolemus.*) *Iornand. de reb. Get.* p. 476. „Igitur ab Dacia et Pan-
„nonia prouinciis, in quibus tunc Hunni cum diuerſis
„ſubditis nationibus inſidebant egrediens Attila in Ala-
„nos mouit procinctum.“

7. *Non circumpoſitas ſolum domitans regiones,*
Littoris Oceani) Gothos, Gepidas, Alanos, Herulos, Sarmatas, Semandros, Squiros, Sattagoros etc. Vid. *Deguignes Hiſtoria Hunnorum et Turcarum* T. I. p. 422. *Paul. Diacon. de reb Rom.* L. XV in pr. „Erant
„ſiquidem ſubiecti eius (Attilae) imperio rex ille Gepi-
„darum famoſiſſimus Ardaricus, Walamir etiam Gotho-
„rum regnator, niſi ipſo, cui ſeruiebat, rege nobilior,
„fortiſſimo nihilo minus gentes Marcomanni, Sueui,
„Quadi praeterea Heruli, Turlingi ſiue Tungri cum
„propriis regulis, aliaeque praeter has barbarae natio-
„nes Aquilonis in finibus commorantes.“

8. *Littoris Oceani*) Ponti Euxini.
Deguignes l. l. T. I. p. 419.
— *Sed pertranſiuerat ora.*) Subiugauerunt ſibi paene omnem Scythiam et Germaniam. *Deguignes* T. I. p. 422. et populauerunt omnem Thraciam.
Iornand. de regn. ſucceſſ. p. 475. „Hunnorum rex
„Attila iunctis ſecum Gepidis cum Ardarico, Gothis-
„que et Walanis diuerſisque aliis nationibus ſuis cum
„regibus, omnem Illyricum Thraciamque, et vtramque
„Daciam, Moeſiam et Scythiam populatus eſt.“
Id. de reb. Get. p. 471. „Qua pacatur Attila Hunnorum
„omnium dominus et paene totius Scythiae gentium
„ſolius in mundo regnator; qui erat famoſa inter omnes
„gentes claritate mirabilis — — Hae ſedes erant At-
„tilae regis, barbariam totam tenentis, haec captis ciui-
„tatibus habitacula praeponebat.“ *Attila* in orat. ad popul. c. l. p. 472. „Poſtremo cur Fortuna Hunnos tot
„gentium victores adſereret, niſi ad certaminis huius
„gaudia praeparaſſet? quis vero Moeotidarum iter ape-
„riret maioribus noſtris tot ſaeculis clauſum ac ſecre-
„tum? quia adhuc inermibus cedere faciebat armatos?“
Iorn. p. 478. „Nec aliter ab Hunnorum imperio diuelli
„potuit gens aliqua Scythica, niſi optata cunctis natio-
„nibus in commune et Romanis mors Attilae proue-
„nerit.“ *Id.* p. 479. „Praecipuus Hunnorum rex Attila,
„patre genitus Munizucco fortiſſimarum gentium domi-
„nus, qui inaudita ante ſe potentia ſolus Scythica et
„Germanica regna poſſedit, nec non vtraque Romanae
„vrbis imperia captis ciuitatibus terruit, et ne praeda
„reliqua ſubderent, placatus precibus, annuum vectigal
„accepit.“ Conf. *Thunmann* in Diſquiſ. ex hiſtoria popul. Europae orient. T. I. p. 28.

9. *Foedera ſupplicibus donans*) id eſt: inaequalia. De quibus *Hugo Grot. de iure belli ac pacis* L. I. c. 3. § 21. p. 61. Foedus inaequale intelligitur, quod ex ipſa vi pactionis manentem praelationem quandam alteri donat, hoc eſt, vbi quis tenetur alterius imperium ac maieſtatem conſeruare, — id eſt, tum operam dare, vt eius imperium in tuto ſit, tum vt dignitas, quae maieſtatis nomine ſignificatur, ei conſtet. *Sam. Puffendorff de iure Nat. et Gent.* L. VIII. c. 9. § 4. p. 1310. *P. Gregor. Tholoſ de Republ.* L. XI. c. 11. § 10. p. 409. *Proculus* in l. 7. § 1. *D. de Capt.* Tale foedus obtinebat inter Hunnos et Oſtrogoth. de quo *Iorn. de reb. Get.* p. 478. „Ita tamen, vt ſaepe dictum eſt, (reges Oſtro-
„goth.) imperabant vt ipſi Attilae Hunnorum regis im-
„perio deſeruirent.“

Digitized by Google

Vltra millenos fertur dominarier annos.
Attila rex quodam tulit illud tempore regnum,
Impiger armis quaerens ſibimet renouare triumphos,
Qui ſua caſtra mouens, mandauit viſere *Francos*,
Quorum Rex *Gibicho* ſolio pollebat in alto,
Prole recens orta gaudens, quam poſtea narro:
Namque marem genuit, quem *Guntharium* vocitauit.
Fama volans pauidi regis transuerberat aures,
Dicens: hoſtilem cuneum tranſire per Yſtrum,
Vincentem numero ſtellas, atque amnis harenas.
Qui, non confidens armis vel robore plebis,
Concilium cogit, quae ſint facienda? requirit.
Conſenſere omnes: foedus debere precari,
Et dextras, ſi forte darent, coniungere dextris,
Obſidibusque datis cenſum perſoluere iuſſum;

10. *Vltra millenos fertur dominarier annos)* Scil. M. CCC. LXX. annos ſecundum calculum celeberr. *Deguignes in Hiſt. Hunn. et Turcar.* Vol. I. p. 230 et 239.

12. *Impiger armis quaerens ſibimet renouare triumphos)* Cl. *Moshemius* legit: Impiger antiquos ſibimet renouare triumphos. Cauſſam expoſuit *Iornand. de reb. Get.* p. 471. „Qui (Attila) quamuis huius eſſet naturae, vt ſemper magna confideret, addebat ei tamen confidentiam gladius Martis inuentus, ſacer apud Scytharum reges ſemper habitus. Quem *Priſcus* hiſtoricus tali refert occaſione detectum: quum paſtor inquiens quidam gregis vnam buculam conſpiceret claudicantem, nec cauſam tanti vulneris inueniret, ſollicitus veſtigia cruoris inſequitur: tandemque venit ad gladium, quem depaſcens herbas bucula incaute calcauerat, effoſſumque protinus ad Attilam defert. Quo ille munere gratulatus, vt erat magnanimus, arbitratur ſe totius mundi principem conſtitutum et per Martis gladium poteſtatem ſibi conceſſam eſſe bellorum."

Priſcus in excerpt. legat. Paris 1609. p. 120. „Nemo „vnquam eorum qui in Scythia vel alibi regnarunt „tantas res tam breui tempore geſſit. Totius Scythiae „dominatum ſibi comparauit, et ad Oceani inſulas „vſque imperium ſuum extendit, vt etiam Romanos „tributorum praeſtationi obnoxios habeat. Nec his „contentus ad longe maiora animum adiecit et latius „imperii ſines protendere et Perſas bello aggredi cogitat"

14. *Quorum Rex Gibicho)* Memoria huius Regis Francorum in aliis adhuc carminibus heroicis ſeruata extat. *Schannat. in Hiſt. Epiſcopat. Wormat.* p. 61.

20. *Plebis)* Plebs apud ſcriptores infimae aetatis omnem populum et ſaepius nobiliores denotat. *Barth. Aduerſ.* L. XLV. c. 15. col. 2093. *Gunth. Ligur.* L. IV. v. 91. 213. IX. v. 433. X. v. 310 445. *Gregor. Turon.* L. III. c. 18. — „pertractari oportet, quid de his (Filiis „Chlodomeris Regis Francorum) fieri debeat, vtrum „inciſa Caeſarie, vt reliqua plebs habeantur." *Fer. Helper.* Laeta parat Carolus ſociis conuiuia. — Impubem pariter plebem, caſtasque puellas conlocat. Conf. *I. H. Boehmer de ſublimi princip. diſpenſ. iure* S. I. c. 2. § 6.

21. *Concilium cogit)* Apud Maiores noſtros Rex nihil absque optimatum vel totius populi conſenſu in rebus conſtituere poterat publicis.

Claudian. de Bello Get. v. 479.

> Occultat tamen (Alaricus Rex Wiſigoth.) ore metum, primosque ſuorum.
> Conſultare iubet bellis annisque verendos.
> Crinigeri ſedere patres, pellita Getarum curia.

Ad. Brem. de ſitu Dan. p. 102. „reges (Suecones) habent „ex genere antiquos, quorum tamen vis pendet in populi „ſententia, quod in commune laudauerint omnes, illum „confirmare oportet."

Bernh. Clem. Mettingh de Statu Milit. Germ. Sect. II. § 3. p. 69.

Aimoin. L. IV. c. 1. „Chlotharius reſpondet, conventum Nobilium debere eam (Brunechildem) aggre„gare Francorum et communi tractatu de communibus „conſulere rebus, ſe vero iudicio illorum in omnibus „pariturum, nec praeceptis promiſit obſtaturum."

23. *Et dextras — coniungere dextris) Virgil. Aeneid.* L. I. v. 408.

> — Cur dextrae iungere dextram
> Non datur?

24. *Obſidibusque datis* CENSVM *perſoluere iuſſum)* et infra v. 75.

> *Poſtquam compleuit pactum ſtatuitque* TRIBVTVM,
> *Attila* —

Thorm. Torf. Hiſt. Noruag. P. II. p. 140. „Ad Aſgri„mum miſit Rex Haraldus cognatum ſuum Thoronnum „de Thruma Agdiae inſula ad requirendum *cenſum*, „quem Rex ei indixerat. Aſgrimus vero pendere recu„ſauit, praetendens nunquam antea ſoluiſſe, miſiſſe „autem nuper Regi equum Gauticum magnamque ar-

Digitized by Google

25 Hoc melius fore, quam vitam ſimul ac regionem Perdiderint, natosque ſuos pariterque maritas.

„genti vim, cui *doni* non item *tributi* nomen imponi „voluerit. Verum rex remiſſis muneribus tributum „exegit.“ Conf. *Ern. Ionch. de Weſtphalen in praefat.* Tom. IV. *Monum. inedit. rer. Cimbr. et Megnpol.* p. 29 et 84. Noſter v. 580

Inclita Metenſi quem Francia miſerat vrbi
Praefectum, qui donn ferens deuenerat illo.

Solutio autem cenſus erat ſignum ſeruitutis. *Gregor. Turon.* L. V. c. 35 „Habebat tum temporis ſecum „Audonem iudicem, qui ei tempore Regis in multis „conſenſerunt malis. Ipſe enim cum Mummulo Prae„fecto, multos de Francis, qui tempore Childeberti „Regis ſenioris ingenni fuerant, publico tributo ſubegit.“

Priſcus in excerpt. legat. p. 39. „Theodoſium qui„dem clari patris et nobilis eſſe filium; Attilam quo„que nobilis parentis eſſe ſtirpem et patrem eius Mun„diuchum acceptam a patre nobilitatem integram con„ſeruaſſe, *ſed Theodoſium traditn a patre nobilitate* „*excidiſſe; quod tributum ſibi* (Attilae) *pendendo, ſuus* „*ſeruus eſſet effectus.* Non igitur iuſtam rem facit, *qui* „*praeſtantiori, et ei, quem fortunn dominum demonſtrauit,* „tanquam ſeruus ſceleſtus et improbus, clandeſtinas „inſidias paret.“

Grot. de iure belli ac pacis L. I. c. 3. § 22. pag. 64. „Qui vero certum quid penſitant aut ad redimendas „iniurias aut ad tutelam comparandam, quo minus „ſummum imperium habere poſſint nullam dubitandi „cauſam video, quamquam infirmitatis confeſſio de „dignitate aliquid delibat.“

Procop. L. IV. Hiſt. Goth. „Bis mille libras auri illico „poſcebat Isdiagunus legatus Perſicus. Sed Iuſtinianus „dare volebat annis ſingulis quadringentas, vt a vio„landis induciis eo velut pignore Choſroem retineret. „Sed conceſſere tandem Romani ſummamque totam „praeſente pecunia exſoluerunt, ne annua tributa pen„dere viderentur. Adeo vocabula magis turpia quam „res ipſas auerſari mos hominum eſt.“

Naeniae R. Attilae ap. *Iornand. de reb. Get.* p. 479. „Praecipuus Hunnorum Rex Attila — vtraque Romanae „vrbis imperia captis ciuitatibus terruit, et ne praeda „reliqua ſubderent, placatus precibus annuum vectigal „accepit.“

Priſcus pag. 34. „Praeterea (Rom.) armorum et rei „militaris ſtudium neglexerant, vt non ſolum Scythis, „ſed et reliquis barbaris, qui proximas imperii Romani „regiones incolebant, quoad tributorum penſitationem „parebant.“

Iornand. c. l. „Nam Gepidae Hunnorum ſibi ſedes „viribus vindicantes, totius Daciae velut victores po„titi, nihil aliud a Romano imperio niſi pacem et annua „ſolennia, vt ſtrenui viri, amica pactione poſtulauere. „Quod et libens tunc annuit Imperator, et vſque nunc „conſuetum donum eſt. Nam gens ipſa a Romano „ſuſcipit principe — “

Procop. de bello Goth. L. I. c. 12. „Deinde Germani „cum Burgundionibus, qui ſupererant, armis congreſſi „adeptique victoriam, eorum regem in Caſtellum quod„dam regionis illius coniectum aſſeruarunt cuſtodiis. „Ipſos vero ad obſequium redactos ſecum in poſterum „militare coegerunt, vt bello captorum conditio po„ſtulabat, et locis omnibus, quae Burgundiones antea „coluerant, vectigal impoſuerunt.“

25. *Hoc melius fore, quam vitam ſimul ac regionem Perdiderint, natosque ſuos pariterque maritas)* Eandem ſortem antiquiſſimis Graeciae temporibus victae ciuitates tulerunt.

Homer. Iliad. ι. v. 587.

— — Και οἱ κατελεξεν ἁπαντα
Κηδε', ὁσ' ανθρωποισι πελει, των αστυ ἁλῳη·
Ανδρας μεν κτεινουσι, πολιν δε τε πυρ αμαθυνει,
Τεκνα δε τ' αλλοι αγουσι, βαθυζωνους τε γυναικας.

— *Natosque ſuos pariterque maritas)* Victoribus Barbaris ſemper mulieres et infantes in praedam ceſſere.

Hom. Il. β. v. 354.

Τῳ, μη τις πριν ἐπειγεσθω οικονδε νεεσθαι,
Πριν τινα παρ Τρωων αλοχῳ κατακοιμηθηναι.

Δ. v. 238.

Ἡμεις δ' αυτ' αλοχους τε φιλας και νηπια τεκνα
Αξομεν εν νηεσσιν, επην πτολιεθρον ἑλωμεν.

ι. v. 128.

Δωσω δ' ἑπτα γυναικας αμυμονας, εργ' ειδυιας,
Λεσβιδας· ἁς, ὁτε Λεσβον ευκτιμενην ἑλεν αυτος,
Εξελομην, αἱ καλλει ενικων φυλα γυναικων.

v. 135.

— — Ει δε κεν αυτε
Αστυ μεγα Πριαμοιο θεοι δωωσ' αλαπαξαι·
Νηας ἁλις χρυσου και χαλκου νηησασθω,
Εισελθων, ὁτε κεν δατεωμεθα ληιδ' Αχαιοι,
Τρωιαδας δε γυναικας εεικοσιν αυτος ἑλεσθω
Αἱ κε μετ' Αργειην Ἑλενην καλλισται εωσιν.

Sic Neſtor. Il. γ.

Foeminam poſſidebat
— Munere Graium
Excerptam ſorti.

Vlyſſes Odyſſ. ι.

Eximiam accepi Mineaecea plurima deinde
Sorte tuli.

Euripid. in Troad. de Caſſandra.

Sibi hanc Atrides maior eximiam tulit.

Id. de nobil. femin. Troian.

„Quae principibus eximiae datae
„Erant Achiuis.“

Et de Andromacha.

Accepit illam Pyrrhus eximiam ſibi.

Excerpta Fredeg. c. 10. „Wiomadus Francus fide„liſſimus caeteris Childerico, quod eum, cum a Chunnis „cum matre captiuus duceretur, ſagaciter liberauit.“ *Paul. Diacon.* L. I. c. 27. „Alboin Cunimundum regem „Gepidarum occidit — cuius filiam nomine Roſimun„dam — captiuam. Quam, quia Cloſſuinda obierat, „in ſuam vt poſtea patuit, perniciem duxit vxorem.“

Digitized by Google

Nobilis hoc *Hagano* fuerat ſub tempore tyro,
Indolis egregiae, veniens de germine Troiae;
Hunc, quia Guntharius nondum peruenit ad aeuum,
Vt ſine matre queat vitam retinere tenellam,
Cum gaza ingenti decernunt mittere regi.
Nec mora; legati, cenſum iuuenemque ferentes,
Deueniunt, pacemque rogant, ac foedera firmant.
Tempore, quo validis ſteterat Burgundia ſceptris,
Cuius primatum *Herricus* forte gerebat,

Torf. Hiſt. Norwag. L. VI. C. III. § 2. pag. 298. „Halfdanus — vrbem ingreditur: praeceſſit eum „Vlfkell, adque aedes palatinas Ingigerdis ſe contulit. „Illa ne victoriam ad ſuam ſuarumque iniuriam verteret, ſupplex orauit, elemenciam quam ſeueritatem „erga ſexum imbeciliorem praeſertim virgines — exercere mallit, ſeque ad matrem ducere dignaretur. Vlfkell bono eam animo eſſe iuſſit.“

Id. cit. l. P. II. p. 26. „Captiuae tamen ſeruorum „iure cenſitae ſunt, nec liberi ex iis ſuſcepti legitimi; „cauſae autem captiuitatis ratio nulla habita eſt, vi et „iniuria qualecunque ius praeſcribente.“

38 *Veniens de germine Troiae*) Conſtans fuit traditio apud Francos, ſe a Troianis originem ducere.

Siegebert. Gemblac. p. 478. „Vndecunque ergo denominati ſunt Franci: quantum altius colligere potuerunt hiſtoriographi, hic Priamus regnabat ſuper „eos tempore prioris Valentiniani. Nam ex ipſo regis „nomine recolentes nobilitatem illius Priami ſub quo „euerſa eſt Troia, inde gloriabantur gentis ſuae manaſſe primordia.“

Fredegar. Hiſt. Franc. epit. c. 2. „Virgilii Poetae „narrat hiſtoria, Priamum primum habuiſſe Regem cum „Troia fraude Vlixis caperetur exindeque fuiſſe egreſſos, „poſtea Frigam habuiſſe Regem biſaria diuiſione partem „eorum Macedoniam fuiſſe aggreſſam, alios cum Friga „vocatos Frigios Aſiam peruagantes in littore Danuuii „fluminis et maris Oceani conſediſſe. Denuo biſaria „diuiſione Europam media ex ipſis pars, cum Francione „eorum Rege ingreſſa fuit, qui Europam peruagantes „cum vxoribus et liberis Rheni ripam occuparunt. — „Et per Francionem nuncupati ſunt Franci.“

Geſta Francor. c. 1. 2. „Alii autem de principibus „eius Priamus et Antenor cum aliis viris de exercitu „Troianorum XII. millia fugerunt cum nauibus qui „introeuntes ripas Tanais fluminis per Moeotidas paludes nauigauerunt et peruenerunt ad terminos finitimos Pannoniarum — Illi quoque egreſſi a Sicambria „venerunt in extremis partibus Rheni fluminis in Germaniam oppidis, illicque inhabitauerunt.“

Partem Troianorum euerſa vrbe Boreales immigraſſe terras paene omnia monumenta Hiſtoriae Septentrionalis narrant. *Io. Meſſenii Scondiae illuſtratae ex edit. Peringskiöldi* Tom. XI. p. 27. Tom. XIII. p. 18. Tom. XV. p. 2.

Ex ſupra citato verſu ſimul apparet, non omnes Francorum fuiſſe Troianae originis, ſed ſaltim quaedam Tribus eorum. Vid: infra v. 725.

34. *Tempore quo validis ſteterat Burgundia ſceptris*) Poeta noſter ſcripſit circa finem Saec. VI. vbi iam Burgundionum res protritae erant, et a Francis in prouinciae formam redactae.

35. *Cuius primatum Herricus* FORTE *gerebat*) Antiqui enim Burgundionum Reges facile ab officio remouebantur. *Ammian. Marcell.* L. XXVIII. c. 5. „Apud „hos generali nomine rex appellatur Hendinos et ritu „veteri poteſtate depoſita remouetur, ſi ſub eo Fortuna „titubauerit belli vel ſegetum copiam negauerit terra, „ſicut ſolent Aegyptii caſus huiusmodi aſſignare rectoribus, nam ſacerdos apud Burgundios, omnium maximus vocatur Syniſtus, et eſt perpetuus, obnoxius „nullis diſcriminibus, vt Rex.“

— *Herricus*) Initia regni Burgundici perobſcura ſunt, non tam ex paucitate monumentorum quam ex peruerſa Genealogicorum conſuetudine, ex omnibus Regum nominibus, quae apud antiquos ſcriptores de aliquo populo reperiuntur, ſtatim ſeries genealogicas nectendi, et omnibus vnum eundemque Thronum adſcribendi. Priſcis temporibus, gente adhuc moribus barbaricis imbuta, ſemper imperia inter plures filios Regios diuidebantur, et vnusquisque, cum ſuis ſubditis quanquam commune totius gentis nomen retinerent, ſingularem populum conſtituit. Quare ſcriptores medii aeui, praeſertim extranei, ſaepius aliquem Regem vniverſae gentis appellant, qui vni tantum parti prouinciae praefuit. Ita: (vt inter innumera exempla vnum producam!) apud *Adam. Bremens.* L. I. c. 4. Theodoricus *rex Francorum* nominatur, cum in ſpecie eſſet Rex Auſtraſiae, ſc. quartae partis totius regni Francici. Ex primis Burgund. regibus absque auctoritate genealogiam conficere tanto periculoſius eſt, quanto ſe facilius ſubditi ipſorum regimini ſubtraxerunt, et alios pro lubitu ſublimauerunt. *Amm. Marc.* XXVIII. 5. Herricus regnauit inter a. 436. quo Gundicarius cum prole ſua ab Hunnis exturbatus fuerat, et a. 455. vbi duo alii Reges Gundiuccus et Hilpericus occurrunt. Niſi iſte rex alius examinis Burgundionum fuerit, quod valde credibile eſt, cum inter reges, quos Gundobaldus, qui vixit a. 500. inter anteceſſores ſuos nominat, Gundicarius nullus occurrat. *Lex Burgund.* Tit. III. „Si quos „apud regiae memoriae autores noſtros, id eſt, Gibicum, Godomarum, Giſlaharum, Gundaharium, patrem

Digitized by Google

Filia huic tantum fuit vnica, nomine *Hiltgund*,
Nobilitate quidem pollens ac ſtemmate famae.
Debuit haec heres aula reſidere paterna,
Atque diu congeſta frui, ſi forte liceret!
Iamque Auares firma cum Francis pace peracta
Suſpendunt a fine quidem regionis eorum,
Attila ſed celeres mox illuc flectit habenas,
Nec tardant reliqui Satrapae veſtigia adire.
Ibant aequali numero, ſed et agmine longo;
Quadrupedum curſu tellus concuſſa gemebat,

„quoque noſtrum eo patruos, liberos fuiſſe conſtiterit, „in eadem libertate permaneant.“

Tempore Chilperici Burgundorum regis ipſorum rempublicam in tres diuiſam fuiſſe partes, docet *Foncemagne in Memor. Acad. Pariſ.* Tom. VIII. p. 486.

36 *Hiltgund*) Hildegunt ſignificat in antiqua lingua vernacula nobilem viraginem et Virginem bellatricem. Vid. *Wachter in gloſſ.* col. 247.

38. *Debuit haec haeres aula reſidere paterna*) In regnis et principatibus Germanorum poſt filiorum ſemper filiarum ſucceſſioni locus dabatur. *Tacit. de Mor. Germ.* c. 45. „Suionibus Sitonum gentes continuantur. „Cetera ſimiles, vno differunt, quod femina dominatur.“ „Quaſi perpetuum fuiſſet non aliud dominium ibi ferre, „quam feminarum.“ ceu hunc locum egregie explicauit ornamentum literarum ſeptentrionalium *Otto Sperling in Comment. de tituli Konung apud Danos origine eiusque maieſtate et poteſtate.* Hauniae 1707. p. 159. *Iuſtin.* L. II. c. 1. (Barbari) „non virorum im„perio magis, quam feminarum virtutibus claruere.“ *Homer. Iliad.* Z. 188. Ↄ. 135. *Seruius Maur. Honor. ad* L. I. *Aeneid.* v. 646. „Quia antiquitus etiam foe„minae regnabant, praeſertim primogenitae“ *Claudian.* L. I. *in Eutrop.* v. 322.

„Reginarumque ſub armis Barbariae pars magna iacet.“

Priſcus Sophiſta inter excerpta Legat. interpr. Car. Cantaclaro. Paris 1648. p. 40. „Sed Attilas antequam „in eam expeditionem ingrederetur, rurſus legatos in „Italiam miſit, qui Honoriam poſcerent. Etenim ſe„cum matrimonium pepigiſſe; cuius rei, vt fidem face„ret, annulum ab ea ad ſe miſſum per legatos, quibus „tradiderat, exhiberi mandauit. Itaque Imperii partem „ſibi Valentinianum cedere aequum cenſebat, quam „pater Honoriae reliquiſſet, ſed hac illam frater, quae „eius erat auaritia et cupiditas, priuarat.“ *Iordanes de reb. Get.* c. 42. p. 475. „Illud prae omnibus denun„tians atque inter minando diſcernens, grauiora ſe in „Italiam illaturum, niſi ad ſe Honoriam Valentiniani „principis germanam, filiam Placidiae Auguſtae cum „portione ſibi regalium opum debita mitteret.“

Vid. de Succeſſ. Feminarum pluribus *Io. Iac. Reinhart* in Comment. de praerogatiua ſucceſſ. filiar. prae agnatis. Gieſſae 1746.

Otto Sperling de regio titulo apud Danos et omnes Septentr p. 258. ſeq.

Petr. Gregor. Tholoſ. de republ. L. VII. c. 11. § 27-64. p. 269. ſeqq.

Iuſt. Henn. Boehmer in Iure publ. Vniuerſ. L. III. c. 4. § 24. p. 647.

Mart. Mager a Schoenberg de Aduocatia arm. c. VII. p. 277 et 280.

Nicol Hieron. Gundling de Feudis Vexilli § 41. pag. 119. ſeqq.

39. *Atque diu congeſta frui*) Scil. Diu congeſtis Theſauris. Nam Veteres admodum opibus inhiabant.

Greg. Turon. L. III. c. 20. L. IV. c. 26. L. VI. c. 34.

Fredegar. c. 30. 42.

Ann. Pith. ad a. 718.

Thom. Bartholin. Ant. Dan. de cauſ. contemtae a Dan. adhuc Gent. mortis L. II. c. 9.

— *Si forte liceret*) Si forte ſe caſus daret, vt Herricus ſine filio decederet; vel ſi forte regnum incolume ſtaret.

41. *Suſpendunt a fine quidem regionis eorum*) Subaudi: *veſtigia.*

42. *Attila*) Cuius proſopographiam ita fecit *Iornand. in reb. Get.* p. 471. „Erat namque ſuperbus in„ceſſu, huc atque illuc circumferens occulos, vt elati „potentia ipſo quoque motu corporis appareret. — „Forma breuis, lato pectore capite grandiori, minutis „oculis, rarus barba, canis aſperſus, ſimo naſo, teter „colore originis ſuae ſigna reſtituens“ *Cael. Iuuenc. Calan. Dalm. ap. Barth.* col. 2661. „Erat autem Attila „Rex ſuperbus inceſſu, huc et illuc circumferens oculos, „ita in omnibus ſuis arrogans, vt eius iactantiae ſuperbia „ex corporis geſtibus, quibuscunque, etiam incognitis, „facile cognoſceretur. Corpore fuit breuis, ſtatura „tamen prope iuſta, lato pectore, capite grandi, oculis „minutis, longisque et acutis auribus, hirſutis et hiſpidis „crinibus, rara barba, ſed more ſuo demiſſa, canis qui„dem aſperſus, ſimus naſo, colore ſubrutus, moribus „ferus, audacia pronus et vere originis ſuae barbarae „ſigna vel lineamenta demonſtrans, ore paruo, latis „tamen labiis, vt fere ab omnibus caninae dicerentur, „vno dentium, qui foras eminebat, plus iuſto faciem „dehoneſtante.“

Digitized by Google

Scutorum ſonitu pauidus ſuperintonat aether.
Ferrea ſilua micat, totos rutilando per agros;
Haud aliter, primo quam pulſans aequora mane
Pulcher in extremis renitet ſol partibus orbis.
Iamque Ararim Rhodanumque amnes tranſiuerat altos,
Atque ad praedandum cuneus diſpergitur omnis.
Forte Cauillonis Herricus ſedit, et ecce
Attollens oculos ſpeculator vociferatur:

50. *Iamque Ararim Rhodanumque amnes tranſiuerat altos)*

A. 413. Burgundi regnum ſuum intra fines Galliarum fundauerunt. *Oroſ.* L. VII. c. 32.

M. A Caſſiodor. in Chron. „Lucianus V. C. Coſ. His „Coſſ. Burgundiones partem Galliae Rheno tenuere „coniunctam.“

Proſper in Chron. ad a. 414. „Burgundiones partem „Galliae propinquantem Rheno obtinuerunt.“ *Id. ad a.* 436. „Eodem tempore Gundicarium regem, *intra* „*Gallias habitantem* Aetius bello obtriuit, pacemque „ei ſupplicanti dedit, qua non diu potitus eſt, ſiquidem „illum Hunni cum populo ſuo et ſtirpe deleuerunt.“ *Caſſiodor. c. l. ad a.* 435. „Theodoſius XV. et Valen„tinianus IV. — Gundicarium Burgundionum regem „Aetius bello ſubegit, pacemque ei reddidit ſupplicanti: „*quem non multo poſt Hunni peremerunt.*“ Lapſu XV. annorum. Nam iſta clades demum a. 451. contigit. *Paull. Diacon.* L. XV. p. 364. „Attila itaque primo im„petu mox vt Gallias ingreſſus eſt, Gundicarium Bur„gundionum regem ſibi occurrentem protriuit.“ *Gregor. Turon. Hiſt.* L. II. c. 9. „Burgundiones quoque „Arianorum ſectam ſequentes habitabant trans Rhoda„num, qui adiacet ciuitati Lugdunenſi.“ *Foncemagne in Memor. literar. Acad. Pariſ.* Tom. VIII. pag. 518. Conf. *Io. Iac. Chifflet. in Veſont.* P. I. c. 46. p. 192. *Ioach. Erdm. Schmidt in prim. lin. Hiſt. regni Germ.* Sect. I. § 65. p. 12. *Lud. Alb. Gebhardi in Hiſtoria genealogica ordinum Imperii Germanici* Tom. I. p. 77. *Io. Dan. Schoepfflin Alſatiae illuſtr.* T. I. p. 177.

51. *Cuneus) A. Gell. Noct. Att.* L. X. c. 9. „Vocabula „ſunt militaria, quibus inſtructa certo modo acies ap„pellari ſolet, frons, ſubſidia, cuneus etc.“ *Veget.* L. III. *de re milit.* c. 19. „Cuneus dicitur multitudo „peditum, quae iuncta acie prima anguſtior, deinde „latior procedit, et aduerſariorum ordines rumpit: „quia a pluribus in vnum locum tela mittuntur, quam „rem milites appellant caput porcinum.“ *Iſidor. Origin.* L. IX. c. 3. „Cuneus eſt collecta in vnum militum „multitudo; vnde propter quod in vnum coit et ipſa „coitio in vnum, cuneus nominatus eſt, quaſi couneus, „eo quod in vnum omnes coguntur.“

Hac forma aciei plerique Barbarorum vſi ſunt. De Francis celeberrimus locus exſtat *Agathiae Schol.* L. II. *de geſt. Iuſt.* „Erat iis forma aciei velut in roſtrum. „Litterae enim Δ aſſimilabatur. Et anterior pars qua „in actum deſinebat, tecta et denſa erat quia ſcutis „vndique muniebatur. Dixeris caput eos porci ſtructura „ea efformaſſe. Crura autem vtrimque ſecundum or„dines et cohortes in profundum compoſita, et plera„que parte in obliquum extenſa, deibant paullatim et „disiungebantur, donec in maximam latitudinem pro„greſſa deſinerent, ita vt medius locus vacuus relin„queretur, et terga militum nuda per ordinem con„ſpicerentur.“ Quae omnia tabula aenea et docta explicatione egregie illuſtrauit pereruditus Ieſuita *G. Daniel in Hiſtoria rei militaris Francorum*, Tom. I. p. 18. Tab. III.

Sed Cuneus ſaepius Hiſtoricis ſignificat multitudinem confertam. *Iuſt. Lipſ. de Milit. Rom.* L. IV. Dial. VII. Opp. Tom. III. p. 203. Quae etiam eſt ſignificatio huius verſus.

52. *Forte Cauillonis Herricus ſedit.* —) Plures Hiſtoriographorum noſtri temporis, paucos Burgundionum, qui crudelem iſtam cladem a. 436. acceperant ſoſpites effugerunt, in Sabaudiam conceſſiſſe, et a Valentiniano III. inter Rhodanum Ararimque ſedes accepiſſe narrant. *Conr. Sam. Schurzfleiſch in Hiſt. vet. regni Burgund.* c. III. inter opp. hiſt. p. 192. ſeq. *Io. Dau. Koeler Diſſ. I. de Carolo Bell. vlt. Burg. duce.* p. 6—8. *Io. Dan. Schoepfflin in Burgundia Cis- et Transiurana* p. 5. ſeq. Sed iam ſupra obſeruatum eſt, Gundicarium, qui in iſta clade obiit, a Gundebaldo inter anteceſſores ſuos minime nominari. Ideoque vero ſimilius eſt, eum ſaltim ſuper aliquam partem Burgundionum, regem fuiſſe.

— *Cauillona* (plur. neutr.) ſ. *Cabillonum* eſt vrbs quae hodie dicitur *Chalons ſur Saone.* Bieſter.

53. *Attollens oculos ſpeculator vociferatur)* De ſpeculatoribus romanis vid. *Guido Pancirol. in Theſ. var. lect.* L. II. c. 145. p. 316. *Iac. Cuiacii Obſeru.* L. VI. c. 33. opp. T. IIII. col. 135. 136. *Iac. Raeuard. Coniectan.* L. III. c. 14. p. 88. *Iuſt. Lipſ. in Comment. ad Taciti* L. I. Hiſt. p. 462. 463. 477. *Godeſch. Stewech. in Comment. ad Veget.* de re mil. p. 78. 271. 307. 476. *Claud. Salmaſ.* in not. ad *Ael. Spart. Hadrian.* p. 106. 107. Inprimis vero *Ezech. liber Baro de Spanheim in opere de vſu ac praeſtantia numiſmat.* Tom. II. p. 402. eationem ſpeculatorum apud populos Boreales optime expoſuit.

Rich. Stanihurſtus de rebus in Hibernia geſtis L. I. p. 33. „In primis vero caſtellano praeſidio ſe tuentur, „ne illis quieſcentibus nocturna vis inferatur. Quare „vt tale quiddam incommodi de nocte non accidat, „habent in caſtelli vertice, tanquam in ſpecula excubias, „quae ſaepiſſime vociferant, et in frequentibus clamo-

Digitized by Google

„Quaenam condenſo conſurgunt puluere nubes?
„Vis inimica venit. Portas iam claudite cunctas.“
Iam tum, quid Franci feciſſent, ipſe ſciebat
Princeps, et cunctos compellat ſic ſeniores:
„Si gens tam fortis, cui nos ſimulare nequimus,
„Ceſſit Pannoniae, qua vos virtute putatis
„Huic conferre manum, et patriam defendere dulcem?
„Eſt ſatius, pactum faciant, cenſumque capeſſant.
„Vnica nata mihi eſt, quam tradere pro regione
„Non dubito: tantum pergant, qui foedera firment.“
Ibant legati, totis gladiis ſpoliati,

„ribus maiorem partem noctis vigilant. Atque has vo„ciferationes idcirco iterant, vt nocturnis furibus et „viatoribus ſignificent, patremfamilias non ita arcte et „grauiter dormitare, quin promtus et paratus ſit; nam „expergefaciunt eum vigiles, quoties inimicorum ad„ventum ſuſpicantur, hoſtes a ſuis laribus viriliter reii„cere atque ſi peropus ſit, etiam in campo cominus „ferro decertare.“

57. — *Et cunctos compellat ſic* SENIORES) Optimates. *Gregor. Turon.* L. V. c. 48. „Seniores laicos.“ L. VI. c. 24. „Maiores Regis et Dominos ſuos atque ſeniores.“ L. VII. c. 36. „Seniores regni et regni principes.“ *Concil. Aruern. de* 535. *Can. XV.* „Senioribus Francis „ſeu Maioribus; qui in villis ſuis ſeu in aula commo„rantur, praecipit. —“ *Hert. in Notit. Vet. Francor. regni* c. 3. § 24. p. 84.

58. *Si gens tam fortis*) *Eginhard. in Vita Karoli M.* c. 16. „Erat ſemper Romanis ſuſpecta Francorum po„tentia. Vnde et illud Graecorum extat prouerbium: τον Φράγκον φιλον εχεις, γειτονα μη εχεις.

Sidon. Apollin. Carm. V.

— Si forte premantur (Franci)
Seu numero, ſeu forte loci, mors obruit illos
Non timor: inuicti perſtant, animoque ſuperſunt
Iam prope poſt animam.

A. Gall. in panegyr. ad Max. „— aut trucem Fran„cum ferina ſola carne diſtentum qui vitam pro victus „ſui vtilitate contemnat, quantae molis ſit ſuperare vel „capere? quod tu Imperator et nuper in Italia et in „ipſo conſpectu Barbariae paulo ante feciſti.“

Caſſiodor. Var. L. III. c. 3.

Agath. L. I. „Validos eſſe Francos et hoſtibus in„expugnabiles finitimisque imperare: ac ſuorum quidem „nihil amittere, quamplurima vero acquirere.“ *Greg. M.* L. V. Ep. 6. „Quanto ceteros homines regia dignitas „antecedit, tanto ceterarum gentium regna regni Fran„corum culmen antecedit.“

— *Cui nos ſimulare nequimus*) Burgundiones ſe mature romanis moribus imbuebant, ideoque ab aliis populis Germanicis ob leuitatem deſpiciebantur.

Oroſ. Hiſt. L. VII. cap. 19. „Hos (Burg.) quondam „ſubacta interiori Germania a Druſo et Tiberio adopti„vis filiis Caeſaris Auguſti per caſtra diſpoſitos aiunt in „magnam coaluiſſe gentem, atque ita nomen ex opere „praeſumpſiſſe, quia crebra per limitem habitacula con„ſtituta Burgos vocant, eorumque eſſe praeualidam et „pernicioſam manum Galliae hodie teſtes et ſunt in „quibus praeſumpta poſſeſſione conſiſtunt: qui proui„dentia Dei omnes Chriſtiani mox facti, Catholica fide „noſtrisque clericis, quibus obedirent receptis, blande, „manſuete, innocenterque viuunt; non quaſi cum ſub„iectis Gallis verum fratribus Chriſtianis.“

Abb. *Duboſ. in Hiſt. Crit. cond. Mon. Franc.* T. I. p. 194.

— *Simulare*) in ſenſu primitiuo pro aequiparare.

61. *Eſt ſatis*) *Eſt nimis.* De qua ſignificatione voculae *ſatis* ita *Caſpar Barth. in Aduerſ.* L. XXIX. c. 13. col. 1381. *Optat. Afric.* p. 14. „Haereticos a domo „veritatis ſatis extorres.“ *Satis* valet *nimis. Cael. Aurelian.* L. I. *Acut.* c. 11. „dabimus vinum temporis „mediocris vt neque vetuſtum neque ſatis nouum ſit.“ Qui locus inſerta vocula male corrumpitur a correctore. Sic et *Plinius Valerianus* L. I. c. 8. *Arnob.* L. V. „Quia neſarium videbatur ſatis, patrem cum filia comi„nus vxoria coniugatione miſceri.“ Sic ſaepius *Hieronymus*, *Auguſtinus*, *Rufinus*, *Alcuinus*, *Flaccus praef. art. Grammat.* et alii e quibus plura ad *Claudian.* Alias vero τo ſatis extenuare ac minuere ſolet vim nominis, cui additur: vt *Cicero VII. ad Attic. Ep* 7. „neque tamen quemquam bonorum aut ſatis bonorum „dubitare“ id eſt, mediocriter bonorum. Id. in iisdem epiſtolis *ſat bonos* dixit eodem ſignificatu. Et in *Catone M.* ſic intelligendum quod in eius apophthegmate eſt, *ſatis bene paſcere.* Sic vtitur *Lactantius* optimus Ciceronis imitator. L. VI. c. 13. „Primus eſt virtutis „gradus, malis operibus abſtinere, ſecundus etiam malis „verbis, tertius etiam cogitatione rerum malarum. „Qui primum gradum aſcendit ſatis iuſtus eſt; qui ſe„cundum, iam perfectae virtutis; qui tertium, is vero „ſimilitudinem Dei aſſecutus videtur.“ *Conr. Rittershuſ. in Annotat. ad Gunth. Ligurin.* L. IX. v. 369. Fiſcher.

Scriptum quidem eſſe videtur *ſatis*; ſed dubio procul, quod et verſus ratio poſtulat, legendum eſt *ſatius*. *Eſt ſatius* i. e. melius eſt, praeſtat, *pactum faciant* etc. Bieſter.

Digitized by Google

Hoſtibus inſinuant, quod regis iuſſio mandat,
Vt ceſſent vaſtare, rogant. Quos Attila ductor,
Vt ſolitus fuerat, blande ſuſcepit, et inquit:
„Foedera plus cupio, quam proelia mittere vulgo.
„Paoe quidem Huni malunt regnare, ſed armis
„Inuiti feriunt, quos cernunt eſſe rebelles.

64 *totis*) pro omnibus. Vti bene *Barth. Aduerſ.* L. I. c. 4. col. 8. Totum ſignat omnia velut vniuerſum dicas, *Vict. Vticenſ.* „incendio atque homicidiis totum „exterminantes.“ Vid. *Auſon. Popma de differens. Verb.* L. III. p. 414. Antiquiſſimi enim Germanorum duos gladios adpendebant alterum longiorem dextro latere, alterum breuiorem, quem ſcriptores mediae aetatis Cultrum vel Cultellum appellant, laeuo, vt videre eſt in *Hiſt. Milit. Franc. R. P. Danielis* Tom. I. p. 4. Tab. II. vbi alter tamen in laeuo latere pugionis inſtar poſitus nimis breuis efformatus eſſe videtur. Vid. Mon. Boica, paſſim.

Dio Coccei. in Caeſ. p. 95. „Adeo autem cum impetu „Romani eos (Germanos) inuaſerunt, vt nec contis, „nec gladiis illis longioribus vti poſſent, imo multi „etiam vſu breuiorum gladiorum priuati, manibus et „dentibus depugnarent.“

Diodor. Sicul. Bibl. L. VI. „Gladios ferunt ancipites „et vtrimque incidentes, ferro praeſtantiſſimo factos, „habentes et gladiolos XII. digitorum adiunctos, qui„bus vtuntur iuncta pugna et in complexu.“

Differentiam vtriusque eleganter deſcripſit Poeta noſter infra v. 333.

Et laeuum femur ancipiti praecinxerat enſe
Atque alio dextro pro ritu Pannoniarum,
Is tamen ex vna dat tantum vulnera parte.

Conf. *Caſp. Barth. in Comment. ad* L. V. *Britonis Philipp.* p. 312. *Daniel in Hiſt. Milit. Francor.* T. I. p. 301. 302. *Iuſt. Lipſ. in Comment. ad Taciti Annal.* L. I. p. 52. *Io. Ge. Eſtor. in Obſeru. Iur. feud. Obſ.* 64. p. 55.

— *totis gladiis ſpoliati*) victos proiectis armis pacem petere oportebat. *Caeſar de bello Gall.* L. V. „non „eſſe conſuetudinem populi Rom. vllam accipere ab „hoſte armato conditionem.“ *Id.* L. II. c. 31. „Attua„ticis reſpondit, ſe magis conſuetudine ſua, quam me„rito eorum ciuitatem conſeruaturum, ſi prius quam „aries murum attigiſſet, ſe dediſſent, ſed deditionis „nullam eſſe conditionem niſi armis traditis.“ L. VII. c. 40. „Hedui manus tendere, deditionem ſignificare „et proiectis armis mortem deprecari incipiunt.“ L. III. c. 21. Sontiates legatos ad Craſſum mittunt: ſeque in deditionem, vt recipiat, petunt. Qua re impetrata arma tradere iuſſi faciunt. *Liu.* L. VI. c. 8. „Volſci „abiectis armis ſeſe dediderunt.“ *Id.* L. XI. c. 41. „Montanorum Ligurum ab A. Poſthumio vineae caeſae „frumentaque deuſta, donec cladibus omnibus belli „coacti in deditionem venerunt, armaque tradiderunt.“ *Amm. Marcellin.* L. XVII. c. 12. de Sarmatis a Conſtantio debellatis: „Omnes clypeis teliſque proiectis „manus precibus dediſſe.“ *Helmold. in Chron. Slau.* L. I. c. 92. § 7. „Tunc conductu clariſſimi comitis „exierunt de munitione Wertizlaus et omnes nobiles „Slauorum et venerunt ad pedes Ducis, vniuscuiusque „enſis ſuper verticem ſuum.“ *Hadr. Valeſ.* L. XII. *Rer. Franc. ad a.* 594. „Reges Francorum et proceres more „militum Romanorum gladio latus cingi conſueuerunt, „et maximae ignominiae loco ferebant, ſi diſcingeren„tur, idemque apud eos erat baltheo ac dignitate nudari.“ Forma, qua victi ſupplices veniam petierunt, videre eſt ap. *Montefalcon. in Monument. Monarch. Franc.* Tom. I. Tab. 46. et *in Memor. Acad. ſcient. elegant. Pariſ.* T. VI. p. 739. 753.

68. *Foedera plus cupio, quam proelia mittere vulgo,*
Pace quidem Huni malunt regnare, ſed armis
Inuiti feriunt, quos cernunt eſſe rebelles)

Haec oratio plane conuenit ingenio Attilae generoſo, quod *Iornandes* loco infra excitando et doctus *Deguignes in Hiſt. Hunnorum* Tom. I. p. 430. optime deſcripſerunt. Attilae frugalitas et temperantia inſigniter laudatur *a Priſco* p. 67. „Sed caeteris quidem bar„baris et nobis coena omni eduliorum genere referta „et inſtructa praeparata erat, et in diſcis argenteis re„poſita, Attilae in quadra lignea et nihil praeter carnes. „Moderatum pariter in omnibus reliquis ſeſe praebebat. „Conuiuis aurea et argentea pocula, quibus bibebant, „ſuppeditabantur, Attilae poculum erat ligneum. Fru„galis admodum illius veſtis, nihil quo ab aliorum ve„ſtibus dignoſci poſſet, habebat, niſi quod erat pura et „impermixta. Neque enim enſis erat aliqua illuſtri „elegantia conſpicuus neque calceorum barbarorum „ligamina, neque eius equi frena vt reliquorum Scy„tharum auro aut lapidibus et aliis huiusmodi pretioſis „gemmis erant ornata.“ *Id.* p. 68. „Itaque tunc ar„repta feſtiuitatis occaſione progreſſus et forma et ha„bitu et pronuntiatione et verbis confuſe ab eo prae„latis, modo Auſoniorum, modo Hunnorum, modo „Gothorum linguam intermiſcens, omnes laetitia et „hilaritate effudit, et effecit, vt in riſum, qui ſedari et „extingui non poterat, prorumperent. Sed Attilas „ſemper eodem vultu, omnia mutationis expers et im„motus permanſit, neque quicquam facere aut dicere, „quod iocum aut hilaritatem prae ſe ferret, conſpectus „eſt: praeterquam quod iuniorem ex filiis introeuntem „et aduenientem, nomine Irnach, placidis et laetis oc„culis eſt intuitus et cum gena traxit.“ Ad quem locum hanc adiecit notam Erudiciſſ. *Iul. Caeſar Bulengerus* in ſplendido opere *de Imperat. Rom.* L. II. c. 40. p. 489. „Quia ſemel de ſcammate exiui, longius excurram et „frugale magni illus Attilae conuiuium ſubiiciam, vt „quantum moderatione et temperantia Traianum, „Marcum Philoſophum, Seuerum Alexandrum et reli-

„Rex ad nos veniens, pacem det, atque reſumat.“
Exiuit princeps, aſportans innumeratos
Theſauros, pactumque ferit, natamque relinquit.
Pergit in exilium pulcherrima gemma parentum.
Poſtquam compleuit pactum, ſtatuitque tributum,
Attila in occiduas promouerat agmina partes.
Namque Aquitanorum tunc *Alphere* regna tenebat,
Quem ſobolem ſexus narrant habuiſſe virilis,
Nomine *Vualtharium*, primaeuo flore nitentem.
Nam iuſiurandum Herricus et Alphere reges
Inter ſe dederant: pueros quod conſociarent,
Cum primum tempus nubendi venerit illis.

„quos melioris notae Romanos Imperatores vicerit, „intelligas.“ *Iornand. in reb. Geticis* p. 471. „Bello„rum (Attila) quidem amator, ſed ipſe manu tempe„rans, conſilio validiſſimus, ſupplicantibus exorabilis, „propitius in fide ſemel receptis. — Qui quamuis „huius eſſet naturae, vt ſemper magna conſideret, „addebat ei tamen confidentiam gladius martis inuen„tus, ſacer apud Scytharum reges ſemper habitus. — „Quo illo munere gratulatus, vt erat magnanimus, „arbitratur, ſe totius mundi principem conſtitutum et „per Martis gladium poteſtatem ſibi conceſſam bel„lorum.“

74. *Pulcherrima gemma parentum)*
Florentin. de recuper. Ptolemaide.

Hinc Archiepiſcopus, *gemma clericorum*
Biſuntinus obiit.

Litaniae S. Radegund Reginae dans les preuves des litanies de Saincte Radegonde par Jean Filleau. A Poictiers 1643. p. 33.

„Gemma Galliae pretioſiſſima.“
„Gemma diadematis Chriſti ornatiſſimi.“

Baudominae Vita S. Radegondis Reginae cap. 20. „Anno vno ante obitum ſuum vidit in viſione locum „ſibi praeparatum, venit ad eam iuuenis praediues „idemque formoſiſſimus, qui cum comiter eam attin„geret et blande compellaret, illa Zelo permota pudi„citiae eius blanditias aſpernabat; tum ille ait ad eam: „quid adeo mei ardens deſiderio cum tot lachrymis me „rogas, me gemebunda requiris, me profuſis precibus „expetis, mea cauſa tam duriter te habes, tam multo „cruciatu te afficis, cum ego tibi nunquam non adſim? „*Tu gemma nobilis* noueris in diademate capitis mei „eſſe *e gemmis primariis vnam.* Nulli dubium eſt ab „illo viſitatam eſſe, cui ſe toto pectore addixerat, iu„dicatamque ei, adhuc in corpore manenti, gloriam „illam, qua eſſet fruitura in coelis.“

Vita S. Bathild. Reginae c. 1. „Quam de partibus „transmarinis diuina prouidentia auocans et vili pretio „venumdata huc aduenit ipſa pretioſa et *optima Dei* „*margarita.*“

77. *Namque Aquitanorum tunc Alphere regna tenebat)* Iam circa finem Seculi IV. Aquitaniae a reliquis Galliarum prouinciis ſegregatae fuerunt, ita vt ſeparatam remp. conſtituerent. *Memoire ſur les Diviſions, que les Empereurs Romains ont faites des Gaules en pluſieurs provinces par M. de la Barre. Tome VIII. des Mem. de Literature* p. 415 et 425. *ſuiv. Du Bos Hiſt. critique de l'établiſſement de la Monarchie Françoiſe* Tom. I. p. 292. *Zoſim. Hiſt.* L. VI. „Itidem totus tractus „Aremoricus aliaeque Gallorum prouinciae Britannos „imitatae conſimili ſe modo liberarunt, eiectis magi„ſtratibus Romanis et ſua quadam Republica conſtituta „pro arbitrio.“ Tractus Aremoricus et Aquitania ſunt vnum idemque, prout terminus in latiori ſeu anguſtiori ſignificatu ſumitur. Vid. *Ant. Dadin. Alteſerra* L. I. *rer. Aquitan.* c. 1. p. 5. qui hanc rem multis auctoritatibus comprobauit, ſimulque docuit, Aquitaniam Celtica lingua Aremoricam dictam fuiſſe. *Mor* ſ. *More* nimirum eſt *aqua* vel *mare.* Caeterum iſtos populos poſt defectionem a Romano Imperio liberam reipublicae formam adoptaſſe, ceu credidit Celeberr. *Duboſius*, ex antiquis monumentis minime conſtat, contrarium potius ex noſtro auctore probatur. Quocum conſentire videtur *Vetus Notitia Imperii.* „Sub diſpoſitione viri „Spectabilis Ducis Tractus Armoricani et Neruicani—“

81. *Pueros)* Pueri pro infantibus vtriusque Sexus, vt multi ſcriptores mediae aetatis.

Chron. Ludou. IV. Imp. inter Pezii ſcript. rer. Auſtr. T. II. col. 422. „A. D. MCCC. XXXIX. Lud. Imp. et „Henricus Dux concordati ſunt, et copulauerunt *duos* „*pueros* et celebratae ſunt nuptiae in Monaco.“

Chron. Salisburg. ad a. 1363. cit. I. Tom. I. col. 414. „Reconciliati ſunt Epiſcopi et Duces Wabariae in Pa„tauia ante diem S. Viti, vbi conuenerunt Dux Auſtriae „et Marchio *celebrantes nuptias cum pueris ſuis:* qui„bus interfuere infiniti Domini et populi haſtiludentes.“ Quid? quod vocabulum *Puer* apud Antiquiſſimos Romanos erat communis generis, quod et *Priſcianus* annotauit, citans illud ex *Liuii Andron.* Od. *Sancta puer, Saturni filia.* . Significatio a veteribus ICtis diuerſa. *Paulus* L. II. ad *Sabin.* in L. 163. D. de Verb. ſignif. § 1. *Pueri appellatione etiam puella ſignificatur.*

Digitized by Google

Hic vbi cognouit, gentes has eſſe domatas,
Ceperat ingenti cordis trepidare pauore.
Nec iam ſpes fuerat ſaeuis defendier armis.
„Quid ceſſemus, (ait,) ſi bella mouere nequimus?
„Exemplum nobis Burgundia, Francia donant.
„Non incuſamur, ſi talibus aequiparamur.
„Legatos mitto, foedusque ferire iubebo,
„Obſidis inque vicem dilectum porrigo natum,
„Et iamnunc Hunis cenſum perſoluo futurum.“
Sed quid plus remorer? Dictum compleuerat actis.
Tunc Auares, gazis onerati denique multis,
Obſidibus ſumptis Haganone, Hiltgunde puella,
Nec non Vualthario redierunt pectore laeto.
Attila, Pannonias ingreſſus et vrbe receptus,

93. *Auares*) Hunni. Apud ſcriptores huius aetatis et aliquorum ſubſequentium ſaeculorum Auares et Hunni vel coniunguntur, vel promiſcue nominantur, vel expreſſe habentur pro iisdem. *Geograph. Rauennat.* L. IV. § 14. „Iterum ad partes quaſi meridiem vt dicamus „ad ſpatioſiſſimam terram, ſunt patriae ſpatioſiſſimae, „quae dicuntur Datia prima et ſecunda, quae et Gepidia „appellatur, vbi modo *Vni, qui et Auari*, inhabitant.“

Paul. Warnefr. f. de geſtis Langobard. L. II. „Eo „quoque tempore, comperta *Huni qui et Auares*, morte „Chlotharii Regis ſuper Sigisbertum filium eius irruunt.“

Id. L. IV. „*Huni* quoque, *qui et Auares* dicuntur a „Panonia in Thuringiam ingreſſis bella grauiſſima cum „Francis geſſerunt.“

Aimoin. L. II. c. 11. „*Hunni qui et Auares*, rupto „foedere quod cum Sigeberto Rege pepigerant in imparatam ſe Galliam effundunt.“

Id. L. III. c. 85. „Tunc temporis *Hunni*, *qui et* „*Auares* dicuntur, a Pannonia egreſſi in Thoringiam „bella grauiſſima cum Francis geſſerunt.“

L. IV. c. 3. „*Huni* quoque, *qui et Auares* appellan„tur, eius virtute deuicti ſunt.“

Gotfrid. Viterb. L. XVI. „Itaque Rex Alboinus „*cum Auaribus, qui prius Hunni*, ſed poſtea Auares a „Regibus ſunt nuncupati, perpetuum foedus compoſuit.“

Monach. Engoliſm. p. 255. „Ibi exercitu coniuncto „cum conſilio Francorum, Saxonum et Freſonum de„ſtinauit iter — in partes Auarorum.“

Eginhard. in vita Caroli M. cap 24. „Maximum „omnium quae ab illo geſta ſunt bellorum praeter Sa„xonicum huic bello ſucceſſit. Illud videlicet quod „*contra Auares ſiue Hunnos* ſuſceptum eſt.“

Meginfred. in vita S. Emmer. c. 4. „Inter anguſtias „diſcrepantes conſcientiae perlatum eſt ad eum, *Auares*, „quos aliis nominibus *Hunnos et Vngros* appellamus, „Pannoniae incolatu idololatriae ſqualore veterno.“

Wittichind. L. I. „Dalmatae impetum illius ferre „non volentes conduxerunt aduerſus eum *Auares, quos* „*modo Vngaros vocamus*, gentem bello aſperrimam. „*Auares autem vt quidam putant, erant reliquiae Hun*„*norum*.“

Iuuenc. Cael. Calan. ap. Barth. in Aduerſ. col. 807. „*Hunni, qui et Auares*, nunc autem Vngari, in vltima „Mocotide habitauerunt.“

Attamen nouiores Hiſtoriographi Auares ab Hunnis atque Vngris ſollicite diſtinguunt. *Memoriae Acad. Scient. elegant. Paris.* Tom. XXVIII. p. 288. et Tom. XXX. p. 241. *Deguignes Hiſt. Hunn. Turcar. et Tart.* Tom. I. p. 413. *Thunmanni diſquiſitio ex hiſtoria populorum Europae orientalium* Tom. I. p. 40. Fiſcher. Olim, quo tempore ſtudium criticum hiſtoriae nondum vigebat, appellabant diuerſiſſimos populos, dummodopere iisdem locis inerant, vno eodemque nomine. Sic Hunni, Auares, Vngri confundebantur, quia omnes in ea parte Europae quae ad Orientem ſpectat, primi videbantur: illi quidem ſaeculo V. quo et rurſus, mortuo Attila, euanuerunt; iſti ſaec. VI., in fine ſaec. VIII. a Carolo M. ad internecionem caeſi; hi vero ſaec. IX. et hodie in Hungaria ſuperſtites (*Madſchyares*). Bieſter.

94. *Obſidibus ſumptis Haganone, Hiltgunde puella*) Praeſertim antiqui Germani puellas obſides habere ſtudebant. *Tacit. de Mor. Germ.* c. 8. — „adeo vt efficacius obligentur animi ciuitatum, quibus inter obſides puellae quoque nobiles imperantur.“ Vid. *Hermanid. ad Flor.* L. I. c. 10.

96. *Attila, Pannonias ingreſſus, et vrbe receptus*) *Iornand. de reb. Get. ex Edit. Fornerii Paris.* p. 471. „Ad quem in legationem ſe miſſum a Theodoſio iuniore „*Priſcus hiſtoricus* tali voce inter alia refert. Ingentia „ſiquidem flumina id eſt, Tyſiam Tibiſiamque et Dric„eam tranſeuntes venimus in locum illum, vbi dudum „Vidigora Gothorum fortiſſimus Sarmatarum dolo oc„cubuit. Indeque non longe ad vicum, in quo rex „Attila morabatur, acceſſimus: vicum, inquam, ad in„ſtar ciuitatis ampliſſimae, in quo lignea moenia ex ta„bulis ingentibus fabrefacta reperimus, quarum com-

Exulibus pueris magnam exhibuit pietatem,
Ac veluti proprios nutrire iubebat heredes.
Aſt adoleſcentes propriis conſpectibus ambos
Semper adeſſe iubet; ſed et artibus imbuit illos,
Praeſertimque iocis belli ſub tempore habendis.
Qui ſimul ingenio creſcentes mentis et aeuo,
Robore vincebant fortes, animoque Sophiſtas,
Donec iam cunctos ſuperarent fortiter Hunos,
Militiae primos tunc Attila fecerat illos,
Sed haud immerito; quoniam, ſi quando moueret
Bella, per inſignes iſti micuere triumphos.
Idcircoque nimis Princeps dilexerat ambos.
Virgo etiam captiua, Deo praeſtante Supremo,
Reginae vultum placauit, et auxit amorem,

„pago ita ſolidum mentiebatur, vt vix ab intento poſſet „iunctura tabularum comprehendi. Videres triclinia „ambitu prolixiore diſtenta, porticusque in omni decore „diſpoſitas. Area vero cortinis ingenti ambitu cinge- „batur, vt amplitudo ipſa regiam aulam oſtenderet. „Hae ſedes erant Attilae regis barbariam totam tenen- „tis; haec captis ciuitatibus habitacula proponebat.“

101. *Praeſertimque iocis belli ſub tempore habendis)* Tales ludi militares apud Hunnos frequentes teſtatur *Jornandes de reb. Get.* p. 479. „Attilae manes quibus „modis a ſua gente honorati ſunt, pauca de multis „dicere non omittamus. In mediis ſiquidem campis et „intra tentoria ſerica cadauere collocato ſpectaculum „admirandum et ſolenniter exhibetur. Nam de tota „gente Hunnorum electiſſimi equites in eo loco, quo „erat poſitus, in modum Circenſium curſibus ambien- „tes, facta eius cantu funereo tali ordine reſerebant.“ His paene conſona ſunt, quae ab *Othbero* apud *Barthol. Ant. Dan.* p. 495. narrantur. Ergo confutatur clariſſ. *Wachter in Gloſſ.* col. 1729. v. *Turnier* qui negat ludos Troianos et noſtra torneamenta aliquid ſimile habuiſſe. Ludi militares apud Barbaros ſemper in vſu fuere. *Caeſar de bello Gall.* L. I. c. 48. *Tacit. de Mor. Germ.* c. 24. *Sidon. Apollin.* L. I. *Iſidor. in Hiſt. Goth. in pr. Procop. de bello Goth.* L. III. *Nithard. de diſſenſ. fil. Ludou. Pii* L. III. p. 474. *Wittichind.* L. I. Ann. p. 640. *Guil. Neubrig.* L. V. c. 4. *Virgil. Aeneid.* L. V. v. 545 ſeq. *Iul. Caeſ. Buleng. de Theatr.* L. I. opp. Tom. II. p. 302. 315. 317. *P. Fabri Agoniſt.* L. I. c. 15. p. 53. *Hier. Mercurial. de arte Gymnaſt.* L. II. c. 6. fol. 64. 65. *Demſteri Paralipom. ad Roſin. Ant. Rom.* c. 25. p. 356. *Burc. Ge. Struve Corp. Hiſt. Germ.* T. I. Per. V. § 9. p. 224. *Mettingh de ſtatu milit. Germanor.* S. IV. p. 268. 269. *Sperl de Clypeis milit. Germ.* P. II. § 56. p. 172. *Dithmar. ad Tac. Germ.* pag. 142. *Du Cange in Diſſ. VI. ad Ioinvillam de origine et vſu Torneam. Io. Loccenii Antiqu. Sueogoth.* L. III. c. 3. p. 139. *Io. Geo. Eſtor in Comment. de Miniſter.* Cap. III. Sect. II. p. 303. ſqq. *Thorm. Torf. Hiſt. Noruag.* P. IV. p. 416. „Quodam die Sigmundum Rex ad certamen „exercitiorum ſecum inſtituendum inuitauit, quod cum „poſt modicam excuſationem ſuſcepiſſet, ſagittandi „natandique peritia aliisque artibus proximus ei iudicio „omnium habebatur.“

102. *Ingenio — mentis)* Eleganter pro indole mentis. *Adr. Turneb. Aduerſ.* L. XXIX. c. 28. col. 1132. Vocula mens ſaepe cum aliis pleonaſtice coniungitur. *Auſon. Popma in different. verbor.* p. 71. Conf. *Radulſi Fornerii rer. quotid.* L. IV. c. 1. p. 1. Ingenium id eſt natura, conditio, qualitas. *Iac. Gothofred. in Gloſſar. Nomico ad Cod. Theodoſ. Tom. VI. v. ingenium.*

103. *Sophiſtas)* Sophiſtae hic pro viris doctis. *Iac. Cuiac. in Comment. ad tit. D. de excuſat.* Tom. II. opp. col. 191. In ſpecie fuerunt Oratores ſeu Rhetores, *Iac. Godofred. in Comment.* ad L. XIV. *Cod. Theodoſ.* Tit. IX. L. III. Tom. V. p. 205. qui etiam Scholaſtici appellabantur. *Wouweren ad Petron* pag. 110. *Io. Scheffer de Stylo exercitiisque eius* C. XIII. § 5. p. 263. Antiquioribus vero temporibus nomen Sophiſtae ipſis Philoſophis tributum eſt, qui oſtentationibus ſuis et nugis magna congerie verborum exornatis ſe populo venditabant. *Ge. Horn. in Hiſtoria Philoſ.* L. VII c. 1. p. 326. *Gronou. in not. ad Gell.* L. VII. c. 3. pag. 383. Fuerunt duo genera, vnum ſimile oratoribus, alterum ſimile Dialecticis iis, qui Eriſtici vocabantur. *Hadr. Turneb. Aduerſ.* L. IV. c. 2. p. 104.

109. *Deo praeſtante ſupremo) Iorn. de reb. Get.* p. 484. „In quo coniuncta Aniciorum gens cum Amala ſtirpe, „ſpem adhuc vtriusque generis *domino praeſtante* pro- „mittit.“

110. *Reginae vultum placauit)* Phraſis biblica, hebraiſmum ſapiens. De latinitate huius temporis egregia ſunt, quae dixit Vir eruditus *M. Io. Aug. Wolf in Diſſ. de latinitate Eccleſiaſtica in Codice Theodoſiano. Lipſ.* 1774. Sect. Pr. § 4—8.

Vita S. Bathild. c. 1. „Forma corporis grata ac

Digitized by Google

Moribus eximiis operumque induſtria habundans.
Poſtremum cuſtos theſauris prouida cunctis
Efficitur, modicumque deeſt, quin regnet et ipſa;
Nam, quicquid voluit, de rebus fecit et actis.
Interea Gibicho defungitur, ipſeque regno
Guntharius ſucceſſit, et ilico Pannoniarum
Foedera diſſoluit, cenſumque ſubire negauit.
Hoc vbi iam primum Hagano cognouerat exul,
Nocte fugam molitur, et ad Dominum properauit.
Vualtharius tamen ad pugnas praeceſſerat Hunos,
Et quocunque iret, mox proſpera ſunt comitata.
Oſpiru elapſum Haganonem regia coniunx
Attendens, Domino ſuggeſſit talia dicta:

„ſubtiliſſima et aſpectu decora, vultu hilaris et inceſſu „grauis, et cum talis eſſet, fuit omnino grata principi „et *inuenis gratiam in oculis eius.*"

111. *Habundans*) abundans, eadem lectio in antiquiſſimis Codicibus Virgilianis.

112. *Poſtremum cuſtos theſauris prouida cunctis Efficitur*) Tempore *Priſci* quaedam vxor Attilae nomine Recca iſtud officium exercebat p. 68. „Interea „Reccam, Attilae vxor, quae eius res domeſticas cura„bat, nos etiam ad coenam inuitauit. Ad eam vt erat „multis Scythiae principibus comitata, accedentes, „contigit nobis etiam humanitate frui. Illa vero nos „excepit mellitis et iucundis confabulationibus et „magnifico epularum apparatu."

114. *Actis*) et infra v. 143.

Iam tum praemeditans, quod poſt compleuerat ACTIS.

118. *Hoc vbi iam primum Hagano cognouerat exul Nocte fugam molitur*)

Conf. not. ad v. 131.

122. *Oſpiru*) Quanquam a ſcriptoribus tantum Cerca, Recca, Ildico inter vxores Attilae nominentur, nihilominus iſtam Oſpiru reuera vxorem ipſius fuiſſe affirmandum videtur, quia *Iornandes* auctor eſt, ipſum innumerabiles habuiſſe vxores. *De reb. Get.* p. 478. „Qui „(Attila) vt *Priſcus* hiſtoricus refert, exitus ſui tem„pore puellam Ildico nomine decoram valde ſibi in „matrimonium, *poſt innumerabiles vxores*, vt mos erat „gentis illius, ſocians."

123. *Domino ſuggeſſit talia dicta*) Barbari mulierum conſilia in rebus agendis ſequuti ſunt. *Tacit. de mor. Germ.* c 8. „Ineſſe quin etiam ſanctum aliquid et pro„uidum putant, nec aut conſilia earum aſpernantur, aut „reſponſa negligunt." *Id. Hiſt.* L. V. c. 25. *Polyaen. Stratag.* L. VII. *Plutarch. de virt. mul.* c. 6. *Io. Xiphilin. epit. Dion. in vita Neron.* L. VI. *Flor.* L. I. c. 10.

De Germanis in ſpecie *Io. Heumann. in praefat. ad rem dipl. Auguſtar.* „Iam ex his omnibus abunde „cognoſces, Auguſtae nomen non dignitatis tantum, „ſed etiam poteſtatis eſſe. Regina ſcilicet modo in „ſolemni imperii concione aſſidet, modo de tribunali „pronunciat, modo duxit exercitum; ipſius conſilia ex„quirit maritus, ipſius interuentu negotia publica tra„ctantur, ipſius auctoritatem colunt maxime rerum „Sacrarum antiſtites, ipſius largitate ac praeſidio laetan„tur religioſa delubra; haec filii regis tutelam, immo „totius reipubl. curam gerit, illa rebus mariti abſentis „prouidet, iſta ſacramenti fidem a regni ſubditis recipit." *Vita et paſſio S. Antidii Biſont. A. Ep.* c. 6. 7. in P. II. *Chifflet. Veſont.* p. 77. „Croſcus enim Rex Vuandalo„rum nequiſſimo matris impiae fretus conſilio cum „Sueuis et Alanis, de finibus ſuis egreſſus, Gallias ap„petens, omnia ferro, rapinis et igne, in quibus ſua „praeualuit ferocia vaſtauit et ad perniciem vſque de„ſeuit. Mater namque illius filium ad peruerſiora in„citans: ſi cupis, inquit, fili, nouae rei effector videri, „tibique nomen omnium maximum adquirere, Chri„ſtianae religionis eſto deſtructor, cunctarumque eccle„ſiarum euerſor: nil quoque vtilius peragere potes, „quo nomen tuum eleues, quam ſi praeceſſorum tuo„rum inſtituta adnihiles, ipſorumque aedificia proteras „et conculces. Quibus Incitamentis tyrannus nimio „furore ſuccenſus Rhenum apud Magontiam tranſiens, „eandem vrbem primum cum populo vaſtauit, plures „dehinc Auſtraſiorum ciuitates vallans, Mettas perue„nit, cuius murus nutu ruens diuino Vuandalorum ad„iuuit ingreſſum: vniuerſas poſthaec Galliarum vrbes „peruagans alias ſubſidione deleuit, alias incendio cre„mauit: plures autem non ſolum pecuniis, ſed etiam „populo priuauit — Nullus in Barbaris veſaniae mo„dus, nullus indulgentiae locus, ſed ſemper ad caeden„dum continuus. Inſtabant cruenti lictores, inſatiabi„les non ſolum de victarum gentium ſpoliis, ſed de „patronorum inſontium ſuppliciis" Cap. 7. pag. 78. „Burgundionum ergo inuadentes confinia ſua nimis in„valeſcente inſania omnium fere eccleſiarum ſtrauerunt „aedificia." Ochus, qui et Darius nominabatur, Rex Perſarum vxorem potiſſimum in conſilium adhibebat. *Cteſias Cnidius* L. XIII. *de reb. Perſ. ap. Photium in Bibl.* Plura collegit vir in hac literarum genere facile

Digitized by Google

„Prouideat caueatque, precor, ſolertia regis,
„Ne veſtri imperii labatur forte columna,
„Hoc eſt, Vualtharius veſter diſcedat amicus,
„In quo magna poteſtatis vis extitit huius:
„Nam vereor, ne fors fugiens Haganonem imitetur.
„Idcircoque meam perpendite nunc rationem;
„Cum primum veniat, haec illi dicite verba:
„Seruitio in noſtro magnos plerumque labores
„Paſſus eras, ideoque ſcias, quod gratia noſtra
„Prae cunctis temet nimium dilexit amicis,
„Quod volo plus factis te quam cognoſcere dictis.
„Elige de Satrapis nuptam tibi Pannoniarum,
„Et non pauperiem propriam perpendere cures.
„Amplificabo quidem pariter te rure domique,
„Nec quisquam, qui dat ſponſam, poſt facta pudebit.
„Quod ſi completis, illum ſtabilire poteſtis."
Complacuit ſermo regi, cepitque parare.
Vualtharius venit, cui princeps talia pandit,
Vxorem ſuadens ſibi ducere. Sed tamen ipſe,
Iam tum praemeditans, quod poſt compleuerat actis,
Inueſtiganti his ſuggeſtibus obuius infit.
„Veſtra quidem pietas eſt quod modici ſamulatus
„Cauſam conſpicitis. Sed quod mea *Sergia* mentis

Princeps. *Dreyer in* Tom. II. *Diſſert. ad illuſtr. Germ. iura et Ant.* p. 644 ſeq. et erudit. *Schütze in panegyr. ad mulieres ant. Germ. et ſeptentr.* § 7. p. 50 ſeqq. inprimis vero clariſſ. *Boehmius in Comment. de Hadwige Sueu. Duce*, p. 13—15.

131. *Seruitio in noſtro*) Obſides ruptis foederibus in ſeruitutem redigebantur. *Gregor. Turon. Hiſt.* L. III. c. 15. „Multi tunc filii ſenatorum in hac obſidione „dati ſunt, ſed orto iterum inter reges ſcandalo ad „ſeruitium publicum ſunt addicti."

133. *Amicis*) Amicos appellabant Imperatores Rom. quos et Comites, qui ſcil. in eorum Comitatu et in deliciis erant, quorum etiam opera in rebus gerendis vtebantur. Vnde Comites et Amicos fere ſemper iungi aduertere eſt, vt in *L. Cod. Theod. de Accuſat. ap. Spartian. in Hadr. etc.* atque inde fluxit, vt Reges Franciae, quando ad Magnates et primi ordinis proceres ſcribant, Amicos et Fideles, *Amez et Feaux* appellent. *In Vita Ludouici Imp. ad a.* 817. „Egiddeo „dicitur Regalium primus Amicorum. Eginhardo, „inter omnes Amicos Regis primus." *Car. du Cange Gloſſ. ad Script. Mediae et inf. Latinit.* T. I. col. 386.

137. *Amplificabo quidem pariter te rure domique*) En hic ſpeciem quandam largitatis Beneficiariae! Ergo feudorum vſus etiam apud Hunnos inualuit. Conf. *Andr. Huſzti Diſquiſitio, qua origines feudorum atque iuris feudalis non alias niſi Hunnicas eſſe probatur. Lipſiae* 1772.

146. *Sed quod mea Sergiamentis intuitu fertis*) Legendum: *Sed quod mei Sergiamenti intuitu fertis.* Id eſt: Sed quod meae remunerationis gratia affertis. Verbum *Sergiamentum*, deſcendit a *Sergiente.* (Cuius ſynonima *Serjens*, *Sarjans*, Gall. *Sergens.*) quo ſcriptores barbarae latinitatis ſeruientem et armigerum denotant. *Eſtienne Paſquier Recherches de la France* L. VII. ch. 17. p. 999. 1000. *Gabr. Daniel Hiſt. de la Milice Françoiſe* L. III. Ch. VII. Tome I. pag. 98. ſuiv. Hinc Anglor. *Sergeants at the Laws.* Seruientes ad Leges. *Chriſt. Hartm. Sam. Gazert de iure Communi Angliae* § 16. p. 84. 85. et *Serienderia* magna et parua, ſingularia feudorum genera. *Crag. de Riccartboun de feud. Scot. et Angl.* L. I. Tit. II. p. 117. 120. *Bernh. Clem. Mettingh in libro de ſtatu milit. Germ. ant.* Sect. IV. § 2. p. 302 et 444. male *Sarjantes* pedites eſſe credidit, cum potius armigeri fuerint, qui tam in equitatu quam in peditatu militabant. *Io. Ge. Eſtor in Comment. de Miniſterialibus* C. VII. § 358. pag. 511. 512. Eundem

Digitized by Google

„Intuitu fertis, nunquam meruiſſe valerem.
„Sed precor, vt ſerui capiatis verba fidelis:
„Si nuptam accipiam Domini praecepta ſecundum,
„Vincior in primis curis et amore puellae,
„Atque a ſeruitio regis plerumque retardor.
„Aedificare domos, cultumque intendere ruris
„Cogor; et hoc oculis ſenioris adeſſe moratur,
„Et ſolitam regno Hunorum impendere curam.
„Namque voluptatem quisquis guſtauerit, exin
„Intolerabilius conſueuit ferre labores.
„Nil tam dulce mihi, quam ſemper ineſſe fideli
„Obſequio Domini; quare, precor, absque iugali
„Me vinclo permitte meam iam ducere vitam.
„Si ſero aut mediae noctis mihi tempore mandas,
„Ad quaecunque iubes, ſecurus et ibo paratus.
„In bellis nullae perſuadent cedere curae,
„Nec nati, aut coniunx retrahentque fugamque mouebunt.
„Teſtor per propriam temet, pater optime, vitam,

errorem errauit Vir Summus *C. Barth. in Comment. ad Britonis Philipp.* L. VII. v. 731. p. 521.

Sed vt redeam ad interpretationem Francogall. vocis *Sergent.* iſtam *Wachter in Gloſſ.* col. 1401. melius deduxit a germ. *Scherge*, exactor regius. Conf. *Fulda in Collect. Vocab. Germ. radical.* § 150. p. 235. et inprimis *Chriſt. Gottl. Haltaus in Gloſſar. Germ. medii aeui* col. 1612. *Schergen.* Lat. *Scheriones.* *Du Cange in Gloſſ.* Tom. VI. col. 420. habet *Serventagium Servientagium Sirventagium*, Seruientis feudum, beneficium, ſeu reditus propter eiusdem officium. *Sergia* ap. Columellam Oleum ſignificat. Fiſcher.

Sed correctionem in *mei Sergiamenti* ideo ferendam non crediderim, quia penitus metro, cuius non adeo incurioſus auctor fuiſſe videtur, repugnat. Legendum fortaſſe: *mea Sergiamenta*, vel *mea Sergia* (ita vt *Sergia* ſit quod tu *Sergiamenta* explicas) *mentis.* — Caeterum poeta, ſi hoc nomine dignus, adeo barbarus paſſim, vt ſaepe a me non intelligatur. Equidem ignoto, quid ſit in verſſ. antecc. *cauſam medici famulatus conſpicere*; quare apud me non conſtat, quaenam lectio vera ſit: vtrum *quod adeſt*, an *eſt quod.* Sic et hoc loco neſcio quidem, quid proprie auctor ſibi velit; ſed fortaſſe voluit dicere: „quod curatis mea ſeruitia, animum attenditis ad m. ſ., illa intuemini, et tantopere remunerare „cupitis, nunq. mer. val.“ Hoc barbare expreſſit: „quod „mea Sergiamenta (ſeruitia) *fertis intuitu*, id eſt, ante „oculos habetis;“ ſ. „quod mea Sergia (ſeruitia) fertis in„tuitu mentis, i. e. ante oculos mentis habetis.“ Bieſter.

152. *Aedificare domos, cultumque intendere ruris Cogor)*

En priſcam morum ſimplicitatem, vbi ipſis principibus agrorum cultu vacare neceſſe erat!

153. *Senioris)* Domini.

Infra v. 543.

Obſecro, mi Senior, gladio mea colla ſecede.

Sidon. Apollin. L. VII. Ep. 12. „Putamus, chariſſimi, „quod digne quaerat illa anima et ita pulſet, vt ei „aperiatur, quae ad leue praeceptum *Senioris* reſpon„dere praeſumit et dicere: nunquid ſerui veſtri ſumus?“ *Barth. in Aduerſ.* L. XLVIII. c. 4. col. 2248. *Paulin.* L. IV. *de S. Martin.*

Ad dextram regis ſancto venerabilis ore
Conſedit ſenior.

Conf. *Du Cange* Tom. VI. *Gloſſar.* col. 377.

158. *Obſequio domini)* Obſequium ſaepiſſime eſt idem quod officium, functio, munus cuiuscunque generis, ſacrum, ciuile, militare etc. Sic dicuntur in *Cod. Theod.* XVI. 2. 2. *obſequia div.* XVI. 2. 3. *obſequia* clericorum et ciuilia. XII. 1. 12 et 24. VII. 1. 2. XIII. 3. 8. *Obſequia* religioſa, curiarum, medicorum et militaria: denique VII. 1. 2. *Obſequia* ſpectaculorum h. e. negotia ſcenica. coll. *Amm. Marcellin.* XXI. 6. Hoc autem ſenſu vox obſequii frequentari coepit ad exemplum *vulgatae*, quae dicitur S. Scripturae interpretatio, quae aliquoties eam pro officio et miniſterio adhibet: 2. Reg. V. 2. 2. Chron. XXIV. 17. *Wolf de latinit. eccleſ. in Cod. Theodoſ.* § 10. p. 32.

164. *Pater optime) Virgil.* II. *Georg.* 7.

Hue Pater o Lenaee veni.

VIII. *Aeneid.*

Tuque o Tybri tuo genitor cum flumine ſancto.

Digitized by Google

„Atque per inuictam nunc gentem Pannoniarum,
„Vt non vlterius me cogas ſumere taedas.“
His precibus victus, ſuaſus rex deſerit omnes,
Sperans Gualtharium fugiendo recedere nunquam.
Venerat interea Satrapae certiſſima fama:
Quandam, quae nuper ſuperata, reſiſtere gentem,
Ac bellum Hunis confeſtim inferre paratam.
Tunc ad Vualtharium conuertitur actio rerum;
Qui mox militiam percenſuit ordine totam,
Et bellatorum confortat corda ſuorum,
Hortans: praeteritos ſemper memorare triumphos,
Promittensque: iſtos ſolita virtute tyrannos
Sternere, et externis terrorem impendere terris.
Nec mora, conſurgit ſequiturque exercitus omnis.
Ecce locum pugnae conſpexerat, et numeratam
Per latos aciem campos digeſſit et agros.
Iamque infra iactum teli congreſſus vterque
Conſtiterat cuneus; tunc vndique clamor ad auras
Tollitur, horrendam confundunt claſſica vocem,
Continuoque haſtae volitant hinc indeque denſae.
Fraxinus et cornus ludum miſcebat in vnum,
Fulminis inque modum cuſpis vibrata micabat.
Ac, veluti Boreae ſub tempore nix glomerata
Spargitur, haud aliter ſaeuas iecere ſagittas.
Poſtremum, cunctis vtroque ex agmine pilis
Abſumptis, manus ad mucronem vertitur omnis,
Fulmineos promunt enſes, clypeosque reuoluunt.

III. *Aeneid.*

Da pater augurium.

Pater nomen dignitatis plerumque eſt. *Hadr. Turn. Aduerſ.* L. XIII. c. 8. col. 426. L. VI. c. 8. col. 180. L. XXI. c. 15. col. 782. *Ezech. L. B. de Spanheim in Obſeru. ad Callimachi* Hymn. in Iou. v. 94 p. 72. et in Dian. v. 6. p. 163.

Barth. Aduerſ. L. XIX. col. 985. *Heric. Altiſiod.* v. 197. „Pater auctorem, fundatorem principem de„ſignat. *Ad noſtri poterunt preconia currere patris.* „Sic *Ennius* Genitorem et Patrem, Romulum vocat „Romani populi.“

— — — o Romule, Romule, dic, o!
Qualem te patriae cuſtodem Dii genuerunt?
Tu produxiſti nos intra luminis oras,
O pater, o genitor, o ſanguen diis oriundum!

Sic ſaepe alii. Conf. *Barth.* L. XII. c. 12. col. 688. *Du Cange in Gloſſ.* Tom. V. col. 256.

174. *Confortat*) corroborat, firmat. *Pſeudo Ouid.* Lib. I.

Sed quod ſic fauces ſitibundas impleat vt non
Confortetur eo ſua virtus.

Iornand. de reb. Get. p. 477. „Interea Odoacer rex „gentium omnem Italiam adeo ſubiugauit, vt terrorem „ſuum Romanis indicaret, mox initio regni ſui Brachi„lam comitem apud Rauennam occidit, regnoque ſuo „*confortato* paene per XIV. annos — obtinuit.“

Conſutatur ergo *Io. Ienſius in purae et impurae latinitatis collect.* Sect. IV. p. 88.

185. *Cornus*) *Virgil. Georg.* II.

At myrthus validis haſtilibus et bona bello
Cornus.

Seruius: Apta eſt enim etiam cornus haſtilibus.

191. *Clypeosque reuoluunt*) Et infra v. 200.

— *Cuncti mox terga dederunt*
Et verſis ſcutis, laxisque feruntur habenis.

Concurrunt acies demum, pugnamque reſtaurant.
Pectoribus partim rumpuntur pectora equorum,
Sternitur et quaedam pars duro vmbone virorum.
Vualtharius tamen in medio furit agmine belli,
Obuia quaeque metens armis, ac limite pergens.
Hunc vbi conſpiciunt hoſtes tantas dare ſtrages,
Ac ſi praeſentem metuebant cernere mortem,
Et quemcunque locum ſeu dextra ſiue ſiniſtra
Vualtharius peteret,] cuncti mox terga dederunt,
Et verſis ſcutis, laxiſque feruntur habenis.
Tunc imitata ducem gens maxima Pannoniarum
Deiicit obſtantes, fugientes proterit, vſque
Dum caperet plenum belli ſub ſorte triumphum.
Tum ſuper occiſos ruit, et ſpoliauerat omnes,
Et tandem ductor recauo vocat agmina cornu.
Ac primus frontem feſta cum fronde reuinxit,
Victrici lauro cingens ſua tempora vulgo;

Optimi verſus ad illuſtrationem rei militaris Antiquorum. Hinc apparet, milites, cum res ad pugnam gladiorum peruentum eſſet, clypeos ſuos ad tergum vertiſſe, idque moris etiam in fuga fuiſſe.

194. *Sternitur et quaedam pars duro vmbone virorum*) Nam in conflictu et pugna cominus vtebantur vmbone ad impulſum. *Iuſt. Lipſ. de Milit. Rom.* L. III. Dial. 2. Opp. Tom. III. p. 127.

202. *Gens maxima Pannoniarum*) Epitheton deſcriptioni, quam antiqui de Hunnis fecerunt, plene conveniens. *Claudian.* L. I. *in Rufin.* p. 38. *Ed. Hartnaccii.*

Eſt genus extremos Scythiae vergentis in ortus
Trans gelidum Tanaim, quo non deformius vllum
Arctos alit; triſtes habitus obſcaenaque viſu
Corpora, mens duro nunquam ceſſura labori,
Praeda cibus, vitanda Ceres, fratremque ſecare
Ludus, et occiſos pulcrum iurare parentes.
Nec plus nubigenas duplex natura biformes
Cognatis aptauit equis; acerrima nullo
Ordine mobilitas, inſperatique recurſus.

Sidon. Apoll. Panegyr. Anth.

— Vix matre carens vt conſtitit infans
Mox praebet dorſum ſonipes, cognata reare
Membra viris, ita ſemper equo ceu fixus adhaeret
Rector: cornipedum tergo gens altera fertur
Haec habitat.

Ammian. Marcell. L. XXXI. „Ad pedeſtres parum „accommodati ſunt pugnas, verum equis prope affixi „duris quidem ſed deformibus et muliebribus iisdem „nonnunquam inſidentes, funguntur muneribus con„ſuetis: In ipſis quiuis in hac natione perdius et per„nox emit et vendit, cibumque ſumit et potum, et in„clinatus ceruici anguſtae iumenti in altum ſoporem „ad vſque varietatem effunditur ſomniorum.“

Iornand. de reb. Get. p. 466. „Quorum (Hunnorum) „natio ſaeua, vt *Priſcus* hiſtoricus refert, in Moeotide „palude vlteriorem ripam inſedit, venatione tantum, „nec alio labore experta, niſi quod poſtquam creuiſſet „in populos fraudibus et rapinis vicinam gentem con„turbauit.“

Pompon. Mela de Scythis quo ſecundum nouiſſimas lucubrationes Ampliſſ. *Deguignes* ab Antiquis, Hunnorum populi deſignaotur. L. II. n. 104. „Interius habi„tantium ritus aſperior et incultior regio eſt. Bella „caedesque amant, mosque eſt bellantibus, cruorem „eius, quem primum interemerunt ipſis e vulneribus „ebibere. Vt quisque plures interemerit ita apud eos „habetur eximius. Caeterum expertem eſſe caedis in„ter opprobria vel maximum eſt. Ne foedera quidem „incruenta ſunt. Sauciant ſe qui paciſcuntur, exemptum„que ſanguinem, vbi permiſcuere, deguſtant. Id pu„tant manſurae fidei pignus certiſſimum. Inter epulas „quot quisque interfecerit referre, laetiſſima et fre„quentiſſima mentio: binisque poculis, qui plurimos „retulere, perpotant. Is inter iocantes honos praeci„puus eſt.“

204. *Sorte*) In MSto Sofre.

206. *Et tandem ductor recauo vocat agmina cornu*) De vſu cornuum in reuocando milite vid. poemata *Oſſiani* plur. *Cambden in Hiberniae deſcript.* „In bello „protuba, tibia vtricularis, in vſu eſt.“

207. *Ac primus frontem feſta cum fronde reuinxit,*

208. *Victrici lauro cingens ſua tempora vulgo*) Hoc loco docemur, etiam principes Barbarorum ſua capita laureis coronis ornare conſueuiſſe, ſimulque ſingularis hinc Gualtharii modeſtia in coronando capite cognoſcitur. Ceterum hoc Romani aeuo in triumphali feſto aureis coronis vtebantur. *Demſter in paral. ad Roſin.* p. 776.

Digitized by Google

Poſt hunc, ſigniferi; ſequitur quos cetera pubes.
Iamque triumphali redierunt ſtemmate compti
Et patriam ingreſſi, propria ſe quisque locauit
Sede. Sed ad ſolium mox Vualtharius properauit.
Ecce palatini decurrunt arce miniſtri,
Illius aſpectu hilares, equitesque tenebant,
Donec vir ſella deſcenderet inclitus alta.

209. *Poſt hunc ſigniferi*) Signiferi enim poſt Ducem primi. *Barth. Aduerſ.* L. LIII. c. 3. col. 2478. Summae autem nobilitatis aut dignitatis habebatur, ſigniferum eſſe. *Rigordi geſta Phil. Aug.* p. 222. „O mira principis clementia et inaudita a ſaeculo nouitas pietatis. „Eodem veſpere cum adducti fuiſſent ante conſpectum „Regis proceres, qui capti fuerant, V. videlicet Comites et XXV. alii, qui tantae erant nobilitatis, vt „eorum quilibet vexilli gauderet inſignibus praeter alios „quamplurimos inferioris dignitatis, licet omnes eſſent „de regno ipſius etc. ipſe tamen vitam omnibus donauit." *Tangmar. in Vita S. Bernwardi* c. 24. „Bernwardus Epiſcopus, Dominicam haſtam ſubiit; ſe quoque „atque omnes viuifica crucis munimine ſignat, bene„dictione publice data ac vitalibus monitis conſolans „et corroborans; ſignifer ipſe cum ſancta haſta in prima „fronte acici egredi parat." *Arnulph. Mediolan.* L. II. c. 9. „Wido, Italicus Marchio, Signifer regius, inter „media tela confixus eſt." Iam a. 982., Imperatore Ottone II., referente *Ditmaro* L. III. pag. 346., Saraceni dicuntur proſtrauiſſe Richarium Lanciferum et Volonem Ducem aliosque inſignes principes atque Comites. Hunc autem Richarium fuiſſe Abbatem Magdeburgenſis Eccl. ex Annaliſta Saxone p. 317. cognoſcimus; qui eundem p. 334. ad a. 982 vocat Richarium Signiferum; quoniam nempe Lanceae Sacrae affixum fuit vexillum tanquam ſignum militare. *Chriſt. Gottl. Schwarz de Archiſcutifero* pag. 53. *Mon. Weingart. de Guelf. in pr.* „Domum quoque ſuam Regio more ordinabant, vt ita, „quae officia in iis, id eſt, miniſteria Dapiferi, Mar„ſcalli, Camerarii, Signiferii, per Comites, vel iis aequi„pollentes, regerentur." *Io. Chriſt. Weinland de Vexillo Imp. prim.* § 13. 14. p. 34 ſeqq. *Guath. Ligurin.* L. IX. v. 138.

Ergo, vbi cum claro praeſul Reinaldus Othone,
Signifer hic, prudens et cancellarius ille,
Et Comes eximiae laudis Gozuinus ad vrbem
Magna peracturi venere negocia regni,
Infremuit, coepitque furens concurrere vulgus.

212. *Solium*) pro Aula. Conſ. infra v. 290. Sic apud *Auſon. in Ord. Nobil. Vrb.* III. v. 1.

Armipotens dudum celebrari Gallia geſtit
Treuericaeque vrbis ſolium, quae proxima Reno,
Pacis vt in mediae gremio ſecura quieſcit.

Treuericum vrbis ſolium pro Regia vrbe Treuirorum dicitur.* Hoc loco illuſtratur *Vita S. Theodardi Aep. Narbon. ap. Du Cange in Gloſſ.* T. VI. col. 584. quam Eruditiſſ. Fratres Ord. S. Bened. haſtenus explicare nequiuerunt. De alia ſignificatione verbi ſolii vid. *Iac. Gutber. in iure Man.* L. II. c. 21. pag. 315. *Io. Kirchmann de funer. Rom.* L. III. c. 15. p. 293.

213. *Palatini — Miniſtri*) Peruulgata et percelebrata res eſt, Latinos, eos qui in aula regia munia quaedam obibant, ſiue virtute ſua et ferro patriam tuebantur, generali vocabulo miniſtrorum vocitaſſe. Et quum auctores ii, qui in id incubuerunt, vt res geſtas Teutonum memoriae proderent, Romanorum lingua, quamuis perquam corrupta et deprauata, vterentur in iis tradendis, inde factum eſt, vt perſonas easdem, qui regibus a ſeruitiis tam aulicis quam bellicis erant, miniſtros adpellarent. *Io. Ge. Eſtor in Comment. de Miniſter.* Proleg. § 5. p. 8. Miniſtri ſimpliciter pro ſeruis *in* L. XXII. *D. Sol. Matr.*: Caeterum abſolute miniſtros cum dicunt Latini, non addentes cuius rei, templorum miniſtros intelligunt, qui Graecis νεωκόροι. *Salmaſ. ad Vopiſc. in Aureliano* Tom. II. *Hiſt. Aug.* pag. 599. *Palatinorum* nomen generale eſt. Eo continentur, militantes in ſacris ſcriniis et agentes in rebus, et apparitores Comitum, largitionum vel priuatarum, et miniſteriani. *Iac. Cuiac. in Comment.* ad L. XII. *Cod. Iuſt.* Tit. XXIII. opp. Tom. III. col. 453. *Ambroſ.* Ep V. „Palatina officia omnia, id eſt memoriales, agentes in „rebus, apparitores diuerſorum Comitum." *Bulenger. de Imp.* L. II. c. 18. p. 144. *Iac. Godofred.* ad L. VI. *Cod. Theodoſ.* Tit. XXX. Tom. II. pag. 207. *Aleiat. et Prat.* ap. *Schard.* in v. Palatini. *Don Domingo de Aquirre del Real Palacio, de Barcelona y de los officios de Suo Alcaydes o concerjes* C. X. § 5. pag. 152 153. „Aulici miniſtri et Palatini miniſtri et Caſtrenſes mini„ſtri, iidem dicebantur. Sed vnde caſtrenſes dicti mi„niſtri Palatini? putabam ſeparatum olim ac diuerſum „fuiſſe miniſterium imperatoribus Rom. aulicum ſiue „vrbanum et caſtrenſe, et caſtrenſes quosdam dictos „fuiſſe, qui in expeditionibus obſequium principi prae„ſtarent, eosque diſtinctos ab vrbanis et aulicis mini„ſtris. Sic ſupellectilem aliam videntur vrbanam ha„buiſſe, aliam caſtrenſem. Sed verius eſt caſtrenſes „dictos eſſe omnes Palatinos miniſtros, quod ſemper „adeſſent principi, nec tantum in aula vel in vrbe, ſed „in caſtris etiam obſequium illi et miniſterium exhibe„rent, et in omnibus expeditionibus eum ſequerentur. „Nam quocunque iret imperator, id expeditio vocabatur" *Salmaſ. ad Lamprid. in Alex. Seu.* Tom. I. *Hiſt. Aug.* pag. 981. *Io. Frid. Chriſt. Noll. academ.* L. I. Obſ. I. § 11. p. 23.

215. *Donec vir ſella deſcenderet inclitus alta*) De vſu ephippiorum huius temporis *Sidon. Apollin.* L. III. Ep. 3. „Alii ſanguine ac ſpumis pinguia lupata

Digitized by Google

Si benè res vergant? tum demum forte requirunt.
Ille aliquid modicum narrans intrauerat aulam;
Laſſus enim fuerat, regisque cubile petebat.
Illic Hiltgundem ſolam offendit reſidentem;
Cui, poſt amplexus atque oſcula dulcia, dixit:
„Ocius huc potum ferto, quam feſſus anhelo.“
Illa mero tallum compleuit mox pretioſum,
Porrexitque viro, qui ſignans accipiebat,
Virgineamque manum propria conſtrinxit; at illa
Aſtitit, et vultum reticens intendit herilem,
Gualthariusque bibens vacuum vas porrigit olli
Ambo etenim norant de ſe ſponſalia facta.
Prouocat et tali caram ſermone puellam:
„Exilium pariter patimur iam tempore tanto,
„Non ignorantes, quid noſtri forte parentes
„Inter ſe noſtra de re fecere futura.
„Quare diu tacito premimus haec ipſa palato.“

„ſuſcipiunt, alii ſellarum equeſtrium madefacta ſudoribus fulcra reſupinant.“ *Nazarius in panegyr. quem Conſtantino dixit:* „Tunc ire praecipites, labi reclines, ſemineces vacillare, aut moribundi ſedilibus attineri.“

Paul. Warnefr. f. de Geſt. Langob. Lib. V. cap. 10. „Vnus de exercitu Regis, nomine Amalongus, qui regium contum ferre erat ſolitus, quendam Graeculum eodem conto vtrisque manibus fortiter percutiens de ſella, ſuper quam equitabat, ſuſtulit, eumque in aere ſuper caput ſuum leuauit.“ Hi ergo ſellarum vſu non erubeſcebant vt priſci Germani. *Iuſt. Chriſt. Dithmar. in not. ad Tacit. de Mor. Germ.* pag. 36. *Du Cange Gloſſ.* Tom. VI col. 335. Inprimis vero Hunni ſellis vtebantur. *Paul. Diac. de Geſt. Rom.* L. XV. p. 364. „Tunc Attila de vitae fiducia iam deſperans, ex equitatoriis ingentem pyram ſellis conſtruxit.“

218. *Regisque cubile petebat)* Quod deſcripſit *Priſcus* p. 66. *Du Cange in Gloſſ.* Tom. II. col. 1203. v. Cubile.

220. *Cui, poſt amplexus atque oſcula dulcia, dixit)* Ex traditionibus Apoſtolorum Chriſtiani ſe oſculo ſalutare iubebantur, quod praeceptum Eccleſia poſtea retinuit. *Innocent. Cironii Obſeruat. Iuris Canon.* Lib. I. C. XIV. p. 19. 20. Fortaſſe auctor ad morem Barbarorum reſpexit, quem laudat *Priſcus* p. 68. „Tum vnusquisque, qui aderant, ſurgens, Scythica comitate poculum plenum nobis porrexit, et eum, qui biberat, amplexus et oſculatus, illud excepit.“

222. *Tallum)* Scil. pateram. Vox Celtica, quae proprie denotat aſſulam, et originem refert ad *teilen*, ſecare, quia priſca ſimplicitas aſſulis ex ligno fiſſis in menſa vtebatur vt hodie paupertas. *Boxhorn. in Lex. ant. Brit. dellr*, aſſerculus, aſſula, hodie *Teller*. *Wachter in Gloſſ. Germ.* col. 1670. *Id.* col. 1669. *Teilen*, diuidere ſecando. Lat. taliare, Gall. tailler, Ital. tagliare, Lat. barb. talare, diuidere vaſtando. Inde tala, deſtructio, talator, vaſtator. Quae hodie perennant apud Hiſpanos, quibus talar, deſtruere, tala, deſtructio, talador deſtructor. *Fulda in Coll. Vocab. Germ. radical.* p. 265. Thül, thal, Beda, dal. AS. gadal, NT. hmb. Sch. del ulf. dail Otfr. deil, Kero, teil, pars, diuiſio. j. augfactio AS. dælan Vlf. dailjan. Sch. dela. tœlja. N. S. partiri. Et p. 274. Teller, diſcus.

223. *Signans) Tertullian.* L. II. *ad vxor.* c. 5. „Cum lectulum cum corpuſculum tuum ſignas.“ *Gregor. M.* L. IV. *Dial.* c. 38. „Reſpondit ille dicens: Volo me ſignare,“ id eſt, ſignum crucis digitis ac manu effingere. *Cangius Gloſſar.* Tom. VI. col. 499. *Coripp. African. de laud. Iuſtin.* L. II. v. 300. Signum S. Crucis intelligit, quo munire velut ſeſe, in aerem ante ſe figurato, vetus Eccleſiae mos erat. *Prudent. Cathem. V.*

Fac, cum vocante ſomno,
Caſtum petis cubile,
Frontem locumque cordis
Crucis figura ſignes.

Thormod. Torfae. Hiſt. Noruag. P. II. L. V. c. 9. p. 219. „Iamque pocula in honorem Deorum epotanda inferebantur. Quorum primum, Comes, ſolenni formula Odino conſecratum, Regi propinans, epotum iterumque repletum porrexit. Qui acceptum ſignaculo crucis, antequam ori admoueret, manu ſuperinducta adeo Karium de Gritingio commouit, vt protinus exclamaret: quorſum hoc, an adhue etiam ſacrificare recuſat? Comes factum excuſaturus, more omnium, qui propriis viribus roborique confiderent, Thori craterem hunc dicaſſe, idque hac mallei nota, antequam biberet, indicaſſe.“

232. *Quare diu) Moshem.* legit: *Quamne diu.* Quod

Digitized by Google

Virgo, per hyroniam meditans haec dicere ſponſum,
Paulum conticuit, ſed poſtea talia reddit:
„Quid lingua ſimulas, quod ab imo pectore damnas;
„Oreque perſuades, toto quod corde refutas?
„Sit veluti talem pudor ingens ducere nuptam.“
Vir ſapiens contra reſpondit et intulit iſta:
„Abſit, quod memoras! dextrorſum porrige ſenſum,
„Noris, me nihilum ſimulata mente locutum;
„Nec quicquam nebulae vel falſi interfore crede.
„Nullus adeſt, nobis exceptis namque duobus.
„Si noſſem, temet mihi promptam impendere mentem,
„Atque fidem votis ſeruare per omnia cautis;
„Pandere cuncta tibi cordis miſteria vellem.“
Tandem virgo, viri genibus curuata, profatur:
„Ad quaecunque vocas me, Domine, ſequar ſtudioſe,
„Nec quicquam placitis malim praeponere iuſſis.“
Ille dehinc; piget exilii me denique noſtri,
„Et patriae fines reminiſcor ſaepe relictos;
„Idcircoque fugam cupio celerare latentem;
„Quod iam prae multis potuiſſem forte diebus,
„Si non Hiltgundem ſolam remanere dolerem.“
Addidit has imo virguncula corde loquelas:
„Praecipiat Dominus, ſeu proſpera ſiue ſiniſtra,
„Eius amore pati toto ſum pectore praeſto.“
Vualtharius tandem ſic virginis inquit in aurem:
„Publica cuſtodem rebus te nempe poteſtas
„Fecerat, idcirco memor haec mea verba notato:
„Inprimis galeam regis tunicamque trilicem
„Affero, loricam, fabrorum inſigne ferentem
„Diripe, bina dehinc mediocria ſcrinia tolle.

recte, metri cauſa; et tum interrogatio eſt: Quamne diu t. pr. h. i. palato? Bieſter.

233. *Hyroniam*) Ironiam, vid. nota ad v. 754.

260 261. *Trilicem — loricam*) *Hadr. Turneb. Aduerſ.* L. XXIX. c. 35. col. 1143. Trilices loricae videntur ex eo appellatae, quod cum eſſent hamis vel ſquamis ferreis confertae, praeterea tribus erant liciis ornatae per eas currentibus. Apparet id ita eſſe e Marone ſic ſcribente V. *Aeneid.*

Loricam hinc hamis conſertam auroque trilicem.

Iterum *Aen.* VII.

— clypeumque auroque trilicem
Loricam induitur.

Sil. Ital. L. II. v. 401.

Praeterea textam nodis auroque trilicem
Loricam, nulli regimen penetrabile telo.

Iuſt. Lipſ. de milit. Rom. L. III. Dial. V. opp. Tom. III. p. 150. De origine verbi *trilix* vid. *Abr. Wieling de furto per lancem et licium concepto* C. III. § 1. p. 36.

261. *Affera*) Mira locutio! Fiſcher. Num fort. *affer?* Bieſter.

262. *Tolle*) Auſer. *Barth. in Aduerſ.* Lib. XXXVIII. c. 11. p. 1740. et *in Comment. ad Guill. Brit. Philipp.* p. 83. 157 et 674.

263. *Da*) Inſer.

Digitized by Google

„His armillarum tantum da Pannonicarum,
„Donec vix vnum releues ad pectoris vnum.
„Inde quater binum mihi fac de more coturnum,
„Tantundemque tibi patrans imponito; vaſis
„Sic fors ad ſummum complentur ſcrinia labrum.
„Inſuper a fabris hamos clam poſce retortos.
„Noſtra viatica ſint piſces ſimul atque volucres.
„Ipſe ego piſcator, ſed et auceps eſſe conabor.
„Haec intra epdomadem caute per ſingula comple.
„Audiſti, quid habere vianti forte neceſſe eſt;
„Nec, quo more fugam valeamus inire, recludo.
„Poſtquam ſeptenos Phoebus remeauerit orbes,
„Regi, ac Reginae, Satrapis, Ducibus, famulisque

265. *Coturnum*) Regum et Heroum calciamenta antiquitus erant cothurni. *Coripp. de laud. Iuſtin. Min.*

Purpureo ſurae reſonant ſulgente cothurno.

Vt omitram graecos ſcriptores. Id vero indumentum eleganter deſcribit *Sidon. Apollinar.*

Perpetuo ſtat planta ſolo, ſed faſcia primos
Siſtitur ad digitos; retinacula bina coturnus
Mittit in aduerſum vincto de fornice pollex.
Quae ſtringunt crepidas, vt concurrentibus anſis.
Vinclorum pandas tendant per crura catenas.

Barth. Aduerſ. L. XXXV. c. 19. col. 1622.

266. *Tantundemque tibi patrans*) Mulieres etiam cothurnos geſtaſſe apparet ex *Virgil.* Ecl. VII. v. 35.

Si proprium hoc fuerit, laeui de marmore tota
Puniceo ſtabis ſuras euincta cothurno.

Aeneid. I. v. 333.

Virginibus Tyriis mos eſt geſtare pharetram
Purpureoque alte ſuras vincire cothurno.

Fer. Helper. de Theodrada FILIA *Caroli M.*

Clara Sophocleoque ornatur virgo cothurno.

266. *Patrans*) Patrare, rem ſignificat finire, perficere. Eam vocem amant vſurpare Chriſtiani ſcriptores, licet aliquid olim obſcaeni ſonet, vt notarunt *Quintilian. Inſtit. Orat.* L. VIII. c. 3. p. 589. et alii. *Marius Victor:*

— ille Dei monitus ſeruare libenter
Aſſuetus, raptim properat mandata patrare.

Barth. Aduerſ. L. XXXV. c. 4. col. 1592. *Chriſt. Noſt. Att.* L. II. Obſ. IX. p. 115. *Guil. Brito Phil.* L. II. v. 634.

Hic requiem tibi Muſa velis patrare ſecundam.

Et L. VI. v. 474. patrator, effector.

Qui tanti vellet ſceleris patrator haberi.

Plura loca ex Scriptoribus aureae aetatis collegit *Ambroſ. Calepin. in Diction. XI. Linguar.* p. 1035.

270. *Conabor*) In MS. coator.

273. *Recludo*) Claudo. § 7. *Inſt. de legit. agnat. ſucceſſ.* Conſ. *Rad. Forner. rer. quotid.* L. III. c. 15. pag. 105.

275. *Satrapis*) quos *Ammian. Marcellin.* ſemper optimates vocat, eos *Herodianus* Satrapas. L. I. c. 7. „Tibi autem expedit ingredi terras ſeptentrionalea „vsque ad oceanum, illas deuincere et captiuos abdu„cere Reges et Satrapas barbaros.“

Beda Hiſt. Eccl. gent. Angl. L. V. c. 11. „Ebaldi „duo venientes in prouinciam, intrauerunt hoſpitium „villici petieruntque ab eo, vt transmitterentur ad Sa„trapam qui ſuper eum erat. Non enim Regem habent „iidem antiqui Saxones, ſed Satrapas plurimos genti „ſuae praepoſitos, qui ingruente belli articulo emittunt „aequaliter ſortes, et quemcunque ſors oſtenderit, hunc „tempore belli Ducem omnes ſequuntur, huic obtem„perant; peracto autem bello rurſus aequalis potentiae „omnes fiunt Satrapae.“

Vita S. Swiberti ap. Leibnit. in Tom. II. *Script. rer. Brunſwic.* pag. 234 „Quibus Satrapa (vici Brunſwik) „ait —“ p. 236. „Nam poſt biennium veniens illuſtris „Bruno magnus Satrapa Saxonum cum nobili comitatu „in prouincia Boructuariorum, pernoctansque in vico „Ratingen ex nimia ebrietate orta diſſenſione magna „inter ipſum et primicerium eiusdem vici de Ratingen „— ipſum occidit cum duobus famulis: quibus per „vicum dolenter patefactis, amici et affines occiſorum „ad arma conuolantes eundem nobilem Satrapam ſere „cum omnibus ſuis in vindictam trucidauerunt.“ Conſ. *Guil. Lambardi Gloſſar. in Archaeonomia, Cantabrigiae* 1644. p. 222. *Satrapas.*

275. *Satrapis, Ducibus*) Hic Satrapae a Ducibus diſtinguuntur. Sunt enim reguli imperium Attilae venerantes; ceu *Oſtrogothorum*, de quibus *Iornand. de reb. Get.* p. 478. „Quos conſtat morte Ermanarici regis ſui „deceſſione a Veſegothis diuiſos, Hunnorum ſubditos „ditioni in eadem patria remoraſſe, Vuinithario tamen „Amalo principatus ſui inſignia retinente. — Sed cum „tali libertate vix anni ſpatio imperaſſet, non eſt paſſus „Balamir rex Hunnorum, ſed aſcito ad ſe Sigismundo „Hunnimundi magni filio, qui iuramenti ſui et fidei „memor cum ampla parte Gothorum Hunnorum im„perio ſubiacebat, renouato cum eo foedere, ſuper „Vuinitharium duxit exercitum. — Balamber ſagitta

Digitized by Google

„Sumtu permagno conuiuia laeta parabo,
„Atque omni ingenio potu ſepelire ſtudebo,
„Donec nullus erit, qui ſentiat, hic quid agendum eſt.
„Tu tamen interea mediocriter vtere vino,
„Atque ſitim vix ad menſam reſtinguere cura;
„Cum reliqui ſurgant, ad opuſcula nota recurre.
„Aſt, vbi iam cunctos ſuperat violentia potus,
„Tum ſimul occiduas properemus quaerere partes.“
Virgo memor praecepta viri compleuit, et ecce
Praefinita dies epularum venit, et ipſe
Vualtharius magnis inſtruxit ſumtibus eſcas;
Luxuria in media reſidebat denique menſa.
Ingrediturque aulam velis rex vndique ſeptam,

„miſſa, caput Vuinitharii ſaucians, interemit: neptem„que eius Vualadamarcam ſibi in coniugio copulans, „iam omnem in pace Gothorum populum ſubactum „poſſedit: ita tamen vt genti Gothorum ſemper vnus „proprius regulus, quamuis Hunnorum conſilio, imperaret. — — Ex quibus per ſucceſſionem parentum „Vualamir in regnum conſcendit, adhuc Hunnis eos „inter alias gentes generaliter obtinentibus. — — „Ita tamen, vt ſaepe dictum eſt, imperabant, vt ipſi „Attilae Hunnorum regis imperio deſeruirent. Quibus „nec contra parentes Veſegothas licuiſſet recuſare cer„tamen, ſed neceſſitas domini etiam ſi parricidium iubet, „implendum eſt. Nec aliter ab Hunnorum dominio „diuelli potuit gens aliqua Scythica, niſi optata cunctis „nationibus in commune, et Romanis mors Attilae „prouenerit.“ Poeta noſter infra v. 571. Guntharium regem Francorum et v. 368 ipſum Attilam *Satrapas* nominauit. Quam multos reges Attila ſub imperio ſuo tenuerit, miratus eſt *Iornand. de reb. Get.* pag. 475. „Eratque et Gepidarum agmine innumerabili rex ille „fortiſſimus et famoſiſſimus Ardaricus, qui ob nimiam „ſuam fidelitatem erga Attilam eius conſiliis intererat. „Nam perpendens Attila ſagacitatem ſuam, eum et „Vualamirem Oſtrogotharum regem ſuper caeteros reges „diligebat. — Reliqua autem, ſi dici fas eſt, turba re„gum diuerſarumque nationum ductores ac ſi Satellites „nutibus Attilae attendebant, et vbi oculo annuiſſet, „abſque aliqua murmuratione cum timore et tremore „vnusquisque adſtabat, aut certe quod iuſſus fuerat, „exſequebatur. Sed ſolus Attila rex omnium regum „ſuper omnes et pro omnibus ſollicitus erat.“

275. *Famuliquе*) Famulitium aulicum *Spartianus* appellat, famulos omnes Imperatorios, quos *Iuſtin.* Miniſteriales et hoſpitii et palatii vocat. *Pyrrhus de Rom. Magiſtr. ap. Schard.* p. 381. *Fer. Helperic. ap. Quercet.*

— conclamat turba pedeſtris
Inque vicem proprio reuocatur pignore quisque
Ad dominum, famulisque ſuum ſequitur vocantem.
— —
Seque ſuos inter famulos fert ductor opimum.

277. *Atque omni ingenio*) (i. e. arte) potu ſepelire (nempe *illos* omnes, quos v. 275. dixerat) ſtudebo.“ Bieſter.

281. *Ad opuſcula nota recurre*) Virgines olim pincernae officium exercebant.

Vita S. Bathild. Reginae c. 1. „Quam (Bath.) inſti„tuit vt ſibi in cubiculo pocula porrigeret, et vt pin„cerna honeſtiſſima ſaepius praeſens adſtaret in mini„ſterio eius.“

Nennius c. 36. „In vna Chiula venit puella pulchra „valde atque decora, haec erat filia Hengiſti. Poſt„quam veniſſent Chiulae, fecit conuiuium Hengiſtus „Guortigerno regi, et militibus ſuis et interpreti ſuo, „qui vocabatur Cerdieſelmet — Hengiſtus itaque pu„ellam iuſſit miniſtrare illis vinum et ſiceram, qui in„ebriati ſunt nimis et ſaturati.“

Thorm. Torf. Hiſt. Noruag. P. II. p. 20. „Detractis „deinde penulis anſata mero plena pocula per filiam „Hildiridem iis miniſtrari facit.“

288. *Ingrediturque aulam velis rex vndique ſeptam*) Aedificiorum regalium formam, quae Attilae temporibus fuit, accurate deſcripſit *Priſcus in excerpt.* p. 63. „Poſtridie ad domus Attilae interiora ſepta me contuli, „dona ferens eius vxori, quae Cerca vocabatur. Ex ea „tres illi liberi. Senior iam tum Acatirorum et reli„quarum gentium qua Scythia ad Pontum patet, regno „potiebatur. Intra illa ſepta erant multa aedificia, „partim ex tabulis ſculptis et eleganter compactis, par„tim ex trabibus, opere puro et in rectitudinem affabre „dolatis et politis, quae erant interiectae, lignis ad „tornum elaboratis, exſtructa et compoſita. Circuli au„tem a ſolo incipientes, in altum aſſurgebant, certa „proportione et menſura.“

Iornand. de reb. Get. p. 471. „Videres triclinia am„bitu prolixiore diſtenta, porticusque in omni decore „diſpoſitas. Area vero cortinis ingenti ambitu cinge„batur, vt amplitudo ipſa regiam aulam oſtenderet.“

ROMA

Digitized by Google

Heros magnanimus, ſolito quem corde ſalutans
Duxerat ad ſolium, quem compſit byſſus et oſtrum,
Conſedit, laterique duces hinc indeque binos
Aſſediſſe iubet. Reliquos locat ipſe miniſter.
Centenos ſimul accubitus iniere ſodales.
Diuerſasque dapes libans conuiua reſudat;

290. *Duxerat ad ſolium, quem compſit byſſus et oſtrum)* *Priſcus* p. 66. „Hic praeparata erant omnia ſedilia, „circa parietes cubiculi ab vtraque parte diſpoſita: in „medio ſedebat Attilas, in lecto, e regione cuius erat „et alter Attilae lectus, pone quem erant quidam gra- „dus, qui ad eius cubile ferebant, *linteis candidis et* „*variis tapetibus, venuſtatis et ornatus gratia contectum,* „ſimile cubilibus, quae Romani et Graeci nubentibus „adornare pro more habent.“ *Anna* L. VIII. *Alexiad.* „Vnus ex omnibus comitibus, nobilis, audaculus in ſella „imperatoris ſedit. Balduinus apprehenſa eius manu „excitauit eum. Neque enim ſolemne eſt, vt Impera- „tores Romanorum ſubditos ſuos conſeſſores habeant.“

Ditmar. Merſeburg. L. IV. *Ann.* p. 357. „Imperator „(Otto III.) antiquam Romanorum conſuetudinem iam „ex parte magna deletam ſuis cupiens renouare tem- „poribus, multa faciebat quae diuerſi diuerſimode ac- „cipiebant. Solus ad menſam quaſi ſemicirculum factam „loco caeteris eminentiori ſedebat.“ Mos iſte adhuc hodie ab Imperatore Rom. in ſolennibus epulis ſeruatur. Aliter tamen ſe reges Barbarorum gerebant, et propriis ſellis ſeu ſoliis contenti ſubditos conſeſſores habere amabant.

290. *Solium) Virgil. Aen.* L. I. v. 498.

— Solioque alte ſubnixa ſedebat.

Seru. ad h. l. Solium proprie eſt armarium vno ligno factum, in quo reges ſedebant propter tutelam corporis ſui, dictum quaſi ſolidum, abuſiue ſellam regalem dicimus. *Pompei. Sabin.* ſolium — dictum quaſi ſolidum, fiebat enim ex praedura materia roboris. *Virgil. Aen.* L. VII. v. 169.

— Solio medius conſedit auito.

Barth. L. X. c. 16. col. 489. „Notauimus alibi apud „gentes Romanis non ſubiectas ſolium fuiſſe inter Regni „inſignia. Ea res tranſiuit poſt ad principes nouae „Romae, luxu Barbarico et faſtu ipſos Orientis Tyran- „nos longiſſime ſuperantes.“ *Coripp. Afric.* L. III. *de laud. Iuſt.* Vt laetus princeps ſolium conſcendit in altum, Membraque purpurea praecelſus veſte locauit. Nimirum legatos Auarum audire non poterat Iuſtinus niſi regio ſolio maieſtatem Barbaris ipſis barbaram auxiſſet. Solium ſiue thronus inter inſignia regia. *Egeſipp. in vita S. Seuer.* L. II. c. 1. „Quid enim ſella aurea, „album diadema, niſi regni forent inſignia, quo ſpi- „ritu praeſumpſerit ſedere ſuper thronum Regium more „quodam et vſu imperatorum.“ Conſ. *Bulenger. de Imp. Rom.* L. II. c. 29. p. 159. *Barth. Adu.* L. IX. col. 43.

Quod noſter poeta ſolium appellat, verſio *Priſci* Bulengeriana vocat lectum, melius vero Canteclariana Regium thorum, Thronum.

290. *Quem) Solius* in genere maſculino praeter conſuetudinem dixit.

291. — *laterique duces hinc indeque binos*

291. *Aſſediſſe iubet)* Honor ſingularis prout in nota praecedenti vidimus. Nam etiam Rom. equites et Senatores ad regias epulas vocati infra menſam recubuerunt. *Seneca* L. II. *de Tranqu.* c. 15. „Non accipiet „ſapiens contumeliam, ſi in conuiuio regis recumbere „infra menſam iubebitur.“ *Buleng. de Imp. Rom.* L. II. c. 33. p. 172. Attamen iſti Duces in ſingulis ſellis a lecto Attilae diſtinctis ſediſſe videntur. *Priſcus in excerpt. legat.* p. 53. poſt verba ſupra citata, Bulengero vertente, pergit: „Onogeſius enim in ſella ſedebat ad „dextram regii lecti. E regione Onogeſii in ſella ſede- „bant duo filii Attilae. Maior in eius lecto ſedebat, „non prope ſed in extremo, prae reuerentia, quam patri „deferebat, terram ſpectans.“ Ordo conuiuarum autem numerabatur a dextro latere Regis. *Priſcus* pag. 51. „Et primum ordinem conuiuarum exiſtimabant eum, „qui eſſet ad dexteram Attilae, ſecundum ad laeuam, „in quo nos (legati Romani) eramus, cum ante nos „ſederet Berichus Scytha nobilis.“

292. *Reliquos locat ipſe Miniſter) Iornand. de reb. Get.* p. 478. „Sequenti vero luce, quum magna pars „diei fuiſſet exempta, *miniſtri regii* triſte aliquid ſuſpi- „cantes poſt clamores maximos fores effringunt, inue- „niuntque Attilae ſine vulnere necem ſanguinis effu- „ſione peractam.“ Vid. nota ad v. 213.

293. *Centenos ſimul accubitus iniere ſodales)* Scilicet ſodales inierunt ſimul centenos accubitus. Nam apud antiquos, ſinguli, trini aut quaterni ſimul accumbebant. *Priſcus in exc. legat.* p. 67. — „*Menſae vero iuxta Attilae* „*menſam erant erectae, excipiendis tribus aut quatuor, aut* „*etiam pluribus conuiuis idoneae,* quorum vnusquisque „poterat, minime tranſgreſſis ſedium ordinibus cultello „ex ferculis, quod ſibi libitum erat, deſumere.“ Iam Taciti temporibus Germani ſeparatis lectis accumbebant. *Tacit. de Mor. Germ.* c. 22. „Separatae ſingulis „ſedes et ſua cuique menſa.“ Ideoque optima eſt obſeruatio *Barthii* de conuiuio Attilae L. LVI. *Aduerſ.* c. 15. col. 2662. Inprimis vero, inquit, memorabile Attilae conuiuium deſcribitur, cui Priſcus ipſemet interfuit; ex quo clarum inſuper, pleroſque magnatum ritus hodie vſu per Europam in conuiuiis frequentes, Barbarorum illis non valde abſimiles eſſe, et forte abinde oriundos; Collocatio enim menſae, ordo conuiuarum, poculorum praebitiones, ſalutationes, ſurrectiones bibentium, ſalus Regia praebibita, ferculorum illationes et poſitiones, Acroamata et reliqua cum temporis huius moribus conſonant pleriſque.

Digitized by Google

295 His et ſublatis, aliae referuntur edendae;
Atque exquiſitum feruebat *migma* per aurum,
Aurea byſſino tantum ſtant gauſape vaſa,

294. *Diuerſaſque dapes libans conuiua refudat,*
295. *His et ſublatis aliae referuntur edendae)*
Ordinem ferculorum in coena Attilae ſic expoſuit *Priſcus in excerpt.* p. 67. „Deinde primus in medium „acceſſit Attilae miniſter, diſcum carnibus plenum ferens. „Poſt ipſum qui reliquis miniſtrabant panem et opſonia „menſis appoſuerunt. Sed caeteris quidem barbaris et „nobis coena omni eduliorum genere referta et in„ſtructa praeparata erat, et in diſcis argenteis repoſita, „Attilae in quadra lignea et nihil praeter carnes. — — „Vt opſonia primorum ferculorum fuere conſumta, ſur„reximus — — Tum noua fercula cuique menſae „ſunt illata, quae alia continebant eſculenta, ex quibus „vbi omnes quoad ſatis eſſet, comediſſent, modo quo „ſupra, in pedes erecti ebibito calice, ſedes noſtras re„petiuimus. Adueniente veſpere ſublatis epulis duo „viri Scythae coram Attila prodierunt.“

294. *Conuiua)* Conf. ſupra v. 291.

Laterique duces hinc indeque binos
Aſſediſſe iubet.

Varia eſt doctorum ſententia de conuiuis Regum barbarorum. Alii, (ex. gr. celeb. *Du Cange in* Diſſ. II. *ad Ioinvill.* p, 54 ſeq.) eos ſingulares aulae miniſtros fuiſſe putant. Alii, quibus ego accedo, ſaltim homines melioris fortunae et magnae exiſtimationis fuiſſe dicunt. Interim cum non eſt noſtrum tantam componere litem, apponamus loca ſcriptorum ipſa. *Claudian. in Eutrop.* Lib. II.

— Claro quod nobilis ortu
Conuiua et Domini

Venant. Fortunat. L. VII. carm. 16.

Iuſſit et egregios inter reſidere potentes
Conuiuam reddens, proficiente gradu.

A. vitae S. Agilii cap. 1. „Fuit quidam ex primis „Palatii optimatibus — nobiliſſimis natalibus oriundus, „eiusdemque Regis conuiua et conſiliarius nomine „Anohaldus.“

Ion. in vita S. Columb. c. 28. „Chanericus Theode„berti Regis conuiua.“

Auctor de SS. Wallenſium c. 16. *ap. Spelmann. in Gloſſ. Anglo-Sax.* p. 385. „Decanus Eccleſiae viſitauit curiam „conuiuio Regali functus, ſicut conſuetudo erat tunc „temporis per patriam; vltimo autem die conuiuii ante „praedictam diem placitandi contra noctem, retraxit „craſtini diei placita.“

Lex Sal. Tit XLIII § 6. *Lex Burg.* Tit. XXXVIII.

Certe participare regiam menſam honor rariſſimus et maximus. Sic de Ludouico Nithard. „Fratres quoque „adhuc tenera aetate, Drogonem Hugonem et Theo„doricum participes menſae effecit, quos et in palatio „ſecum nutriri praecepit.“ Vides, ne fratres quidem regios, puta conſanguineos, ordinarium hunc honorem habuiſſe. Sed de germanis quaſi nouam rem ſcribit L. III. Carolo et Ludouico. „Nam conuiuia erant illis „pene aſſidua et quodcunque pretium habebant, hoc „alter alteri perhumane dabat. Vna domus erat illis „conuiuii et vna ſomni.“

Barth. Aduerſ. L. XLV. c. 15. col. 2093. Egregia ſunt, quae dixit *Io. Iac. Maſcou.* in Comment. de originibus Officior. Aulicor. § 30. p. 28.

De Vertot Diſſert. ſur les moeurs des anciens François. Tomo II. Mem. Paris. p. 581 585.

De Hirdsmannis conuiuiis Regum Daniae vid. *L. A. Gebhardi* in Hiſtoria genealogica ordinum Imperii Germanici. T. I. p. 53.

296. *Migma)* Lege *Smigma*, Graece, σμῆγμα, quod Eruditiſſ. *Fuln. Vrſin. in Adpend. ad P. Ciacconii libr. de Triclinio priſcorum Rom.* p. 371, 372. optime explicauit. Erst enim maſſa quaedam ex variis confecta odoramentis ad manus poſt conuiuium abſtergendas. Veteres Franci vſi ſunt hoc vnguentorum genere capillorum ornandorum gratia. *Agath. Schol. de reb. Iuſtin.* L. I. „Neque vero quemadmodum Turcis et „Barbaris impexa eis ſordidaque eſt coma, vel compli„catione indecenter cirrata, *ſed ſmigmata varia ipſi „ſibi adhibent, diligenterque curant.*“ Quae vltima verba Celeberrim. Abb. *Duboſii in ſua Hiſt. Crit. conditae Monarchiae Francicae* T. III p. 140. male ita vertit: „Au contraire les Princes Francs ont grand ſoin „de leur tête, et même *ils friſent leurs cheveux par „boucles.*“

Lectio mei Cod. MS. in *migma*, quod graecum verbum *mixturam* ſignificat, retinenda, et pro aliqua ciborum ſpecie interpretanda eſt: nam radix huius vocis m. ſignificat carnem, adipem, medullam, mel, lac, bytisum, cibum, oleum et omne pingue. *Fulda in Collect. vocab. Germ. radical.* § 79 et 80. p. 155. 138. 139. In ſpecie myge Hmb. lotium. meg. bemegen. d. fimentum. Conf. *Io. Ge. Wachter in Gloſſar. German.* col. 1078. *v. Mieg. Du Cange in Gloſſar. ad ſcript. infimae aet.* Tom. IV. col. 734 et 735. *v. Migma.*

297. *Byſſino — Gauſape)* *Horat. Serm.* Lib. II. Sat. VIII. v. 10.

— Puer alte cinctus acernam
Gauſape purpureo menſam perterſit.

Mart. Epigrammat. L. XIV. n. 129.

Gauſapa vel mantele
Verbum originetenus barbarum.

Gloſſae Vet. ap. Salmaſ. ad Ael. Spart. Tom. I. *Hiſt. Aug.* p. 104. Gauſapa βαρβαρικον παλλιον. *Salmaſ. ad Flau. Vopiſc. in Aurel.* p. 448. Manteria veteres ante pectora ponere coenantes conſueuerant, vt hodie ſolemus illa lintea, quae ſeruiettae nobis dicuntur, quas ante pectora noſtra ponimus cum menſae adſidemus, et quibus manus et labra tergimus. Verum aetate iam *Plinii* mantelia non amplius in vſu erant αντι χειρομακτρων, ſed integendis menſis ſeruiebant — atque hoc tunc temporis diſcrimen ſtatuebatur inter mappas et mantelia: vt mantelia menſis operiendis, mappae manibus tergendis vſum praeberent. Nam mappae erant breuia

Digitized by Google

Et pigmentatas crateres Bacchus adornat,
Illicit ad hauſtum ſpecies dulcedoque potus.
Vualtharius cunctos ad vinum hortatur et eſcas.
Poſtque epulis abſumpta quies, menſaeque remotae.
Heros iam dictus Dominum laetanter adorſus
Inquit: „in hoc regno clareſcat gratia veſtra,

lintea, quas quisque ſecum ad conuiuium ferebat, nec enim dominus eas ſubminiſtrabat. Inueniebant quidem apud dominum conuiuii menſam manteli inſtratam, ſed ſuam vnusquisque ſecum conuiuarum mappam afferebat. *Io. a Wouweren annot. ad Petron. Satyr.* p. 129. *Pagenſtecher de Barba* p. 38. 39.

298. *Pigmentatas*) Pigmento ornatas. *Hieron. ad Paul.* „Totum flaccidum, molle, nitidum, atque formo-„ſum, quaeſitis hinc odoribus pigmentatum.“ *Coripp. African.* L. V. n. 3.

Aurea purpureis apponunt fercula menſis,
Pondere gemmarum praegrandia, pictus vbique
Iuſtinianus erat; dominis pictura placebat
Gaudebantque ſui genitoris imagine viſa.

Pigmenta alias ſunt vina, quibus aliquid ſpecierum aut aromatum infuſum eſt. *Petr. Maurit. Vener. Stat. Cluniacenſ.* Can. XI. *in Barthii Aduerſ.* L. LV. cap. 10. col. 2606. „Statutum eſt, vt ab omni mellis ac ſpecie-„rum cum vino confectione, quod vulgari nomine „pigmentum vocatur, omnes Cluniacenſis ordinis fratres „abſtineant.“

298. *Crateres*) *Athaen.* L. II. *Dipno-Sophiſt.* „Priſcos „fama eſt atque homines cornibus olim bibiſſe boum. „Liquet hoc ex eo, quod adhuc dum aqua vinum mi-„ſcetur, craterem appellant πϱο τυ κεϱατος quaſi κεϱατηϱα „quoniam in cornua potio fundatur; manet etiam nunc „cornuum ad hunc vſum fabrica: quidam eiusmodi „pocula rhyta vocant: poetarum quoque multi anti-„quos bibentes cornibus inducunt.“

299. *Illicit ad hauſtum ſpecies dulcedoque potus*) Aquitani lautiſſimi in epulis mundiſſimique. *Ammian. Marcell.* L. XVI. „Apud Aquitanos euenit, quod latior fa-„ma vulgarat: Veterator quidam ad lautum conuiuium „rogatus et mundum, qualia ſunt in his regionibus pluri-„ma, cum vidiſſet linteorum toralium par, duos clauos „ita latiſſimos, vt ſibi viciſſim arte miniſtrantium cohae-„rerent, menſamque operimentis paribus tectam: ante-„riorem chlamydis partem vtraque manu vehens, in-„trinſecus ſtructuram omnem vt amictus adornauerat „principales quaerens, patrimonium diues euertit.“

299. *Species*) Species ſunt quaelibet res ad victum et vitam humanam neceſſariae, v. c. frumentum, oleum, panis, vinum, etc. *Cod. Theodoſ.* VIII. 5. 48. XI. 1. 24. Inprimis crebro memorantur *Species annonariae* XI. 15. 2. XIII. 5. 9. Hoc ſenſu *Species* patribus de Sacra Coena loquentibus ſaepe dicuntur panis et vinum. Hinc illud: *ſub vtraque Specie*, quod vulgo male intelligitur. *Wolf de latinit. Eccl. in Cod. Theodoſ.* p. 41. Fiſcher.

Sed hic, procul dubio, *Species* eſt adſpectus. Nempe *Species*, aſpectus, *et dulcedo*, ſapor, *potus*, id eſt, vini *illiciebat ad hauſtum*. Bieſter.

300. *Vualtharius cunctos ad vinum hortatur*) Modum potandi in Hunnorum Conuiuiis optime demonſtrauit. *Priſcus* p. 66. „Reuerſis nobis in tentorium, ecce ad „nos Oreſtis pater, vos ambos, inquit, ad conuiuium „inuitat Attilas. Fit vero illud ad nonam diei. Tem-„pore condicto obſeruato, vt venimus et vna quoque „Romanorum occidentalium legati, ſtetimus in limine „coenaculi coram Attila. Hic pincernae, vt mos eſt in „illis regionibus, calicem tradiderunt, vt ante accubi-„tum vota faceremus. Quo facto et calice deguſtato, „ipſa ſolia, in quibus nos ſedentes coenare oportebat, „ingreſſi ſumus. — — Omnibus ordine ſedentibus, „qui Attilae erat a poculis, ingrediens, pateram vini „tradit. Hanc vbi ſuſcepit, priorem ordine ſalutauit, „ſalutatione honoratus ſurrexit, neque prius eum ſedere „fas erat, quam merum deguſtans, aut etiam ebibens „poculum pocillatori redderet. Sedenti autem Attilae „ex more, qui conuiuio intererant, pocula ſuſcipientes, „et poſt ſalutationem deguſtantes, honorem exhibe-„bant. Vnicuique vero vnus pocillator aderat, quem „pincerna Attilae exeunte, introire ſuo ordine opor-„tuit. Secundo ſedente, et reliquis deinceps ad hunc „modum honore affectis, Attilas nos ex Thracum in-„ſtituto, ad parium poculorum certamen prouocauit. „Tum omnibus ſalutationis honore delato, pincernae „receſſerunt. — — Vt opſonia primorum ferculorum „fuere conſumta, ſurreximus, neque prius quisquam „noſtrum ad ſedem ſuam eſt reuerſus, quam ſibi tradi-„tam pateram vini plenam, ſeruato quem ſupra dixi-„mus ritu, Attilam ſaluum et incolumem precatus, ebi-„biſſet. Eo ad hunc modum culto ſedimus. — Modo, „quo ſupra, in pedes erecti, ebibito calice, ſedes no-„ſtras repetiuimus.“ Alium ritum potandi Auctor p. 68. recenſet. „Tum vnusquisque eorum, qui aderant, „ſurgens, Scythica comitate, poculum plenum nobis „porrexit, et eum, qui biberat amplexus et oſculatus „illud excepit.“

301. *Poſtque epulis abſumpta quies, menſaeque remotae*) Imitatio *Virgilii* L. I. *Aeneid.* v. 715.

Poſtquam prima quies epulis menſaeque remotae.

Quo loco, vt bene notat *Seruius*, Poeta Romanorum exequutus eſt morem, apud quos duae menſae erant, vna epularum, altera pomorum.

303. *Gratia*) Gratia eſt idem quod beneficium, quo ſenſu baptismus dicitur *gratia diuina* in *Cod. Theodoſ.* XVI. 6. 1 et 5. *Gratia communionis* XVI. 7. 5. Sic apud patres ſaepe χαϱις et gratia de baptiſmo et ſacra coena vſurpantur, eo ſenſu, vt beneficium indicent.

Digitized by Google

„Vt vos inprimis reliquos nunc laetificetis.“
Et ſimul in verbo nappam dedit arte peractam,
Ordine ſculpturae referentem geſta piorum;
Quam rex accipiens hauſtu vacuauerat vno,
Confeſtimque iubet reliquos imitarier omnes.
Ocius accurrunt pincernae, moxque recurrunt;
Pocula plena dabant, et inania ſuſcipiebant.

quod docent ſynonyma *χαρισμα* et *munus diuinitatis*, hoc eſt, *diuinum*, pariter de Sacramentis dici ſolita, v. c. in *Cod. Theod.* XVI. 5. 4. etc. Fluxit vero haec vocabuli *Gratia* notio e N. T. in quo *χαρις* haud raro eſt beneficium e. gr. Rom. XII. 3. 2 Cor. I. 12. 15. Quibus in locis, cum inprimis munus Apoſtolicum ipſumque verbum Euangel. *χαρις* vocentur, factum eſt, vt patres quoque ſacramenta, non minora quippe beneficia et ſalutis praeſidia, *χαριτος* et *gratiae* nomine inſignirent. *Wolf de latin. eccl. in Cod. Theod.* Sect. II. § 10. p. 30.

303. *Noſtra*) Moshem. *veſtra.*

303. — *In hoc regno clareſcat gratia noſtra*

304. *Vt vos inprimis reliquos nunc laetificetis*) *Iul. Caeſ. Bulenger.* L. II. *de Imperat. et Imp. Rom.* c. 41. p. 195. Rarum fuit in epulis regiis, vt rex alteri praebiberet, cui ſi tantum honoris a rege contigiſſet, is vero praeclare ſecum agi putabat. *Agath.* Lib. II. Vranium, philoſophum ineptum, Coſroes tanti fecit, vt rex ipſe prior pateram huic delibaret, quod vtique nondum in alios factitaſſet; ad regiam menſam adhibitis, libenter iniuriae, ſi quae a rege factae eſſent, ferendae erant. — *Herodot.* L. I. Imo vero tantum aberat, vt amicis ſuis praebiberet, vt eorum patientia, inter vina, indigniſſime abuteretur.

305. *In verbo*) Germanismus.

305. *Nappa*) *Wachter in Gloſſ. Germ.* col. 1125. *v. Napf.* olim calix et patera in omnibus dialectis. *Somner*, in Dict. Anglo-Sax. *nappe*, *hnaeppe* cyathus, Scyphus, patera, poculum. *Gloſſ. Pez.* crater *naph.* craterarum *napho. Verel.* in Ind. *nap.* poculum argenteum. *Willeram.* Cant. cap. VII. § 2. *din nabelo iſt gedrater naph*, vmbilicus tuus crater tornatilis. Similiter et Italis *nappo* eſt vas potorium, et Gallis *hanap* ſimile quid. Proprie ſignificat vas cauum, ſiue potui ſiue aliis vſibus inſeruiat. *Idem* col. 1111. Gloſſ. *Pez.* modioli *napa*. Idem Angloſax. *nafa*. Angl. et Belg. *naue*, proprie eſt cauum vel cauitas. At Eruditiſſ. *Frid. Car. Fulda in Collect. et generat. Vocab. Germ. radicalium* p. 303. verbum *napf* deduxit ab *a.* aqua. *Nav*, *naf*, gl. mons. *napho*, *nap.* pſ. crater, patera.

Alio ſenſu vox nappa occurrit in Chartis Saec. XIV. *Litt. de* 1310. *ap. Schannat. Client. Fuldenſ.* num. 531. „Nos et conuentus noſter recognoſcimus, quod duas „*nappas* cum domo et area adiacentibus, ab Abbate „Fuld. in Feodum procedentes apud ſtrennum virum „de Wilbrecht iuſto et legitimo emptionis titulo com„parauimus; nos vero deuote poſtulantes, vt praedicta „bona nobis et monaſterio appropriaret, qui ex mera „liberalitate *Nappas* praedictas cum domo et area ad„iacentibus, nobis et Monaſterio noſtro appropriauit.“ Conf. *Du Freſne* Tom. IV. *Gloſſar.* col. 1138 et 1139. *v. Napa, Naparia, Nappa.*

306. *Ordine ſculpturae referentem geſta piorum*) *Virgil.* L. I. *Aeneid.* v. 632.

— caelataque in auro
Fortia facta patrum, ſeries longiſſima rerum
Per tot ducta viros antiquae ab origine gentis.

Coripp. African. L. V. v. 3.

Ipſe triumphorum per ſingula vaſa ſuorum
Barbarico hiſtoriam fieri mandauerat auro.

Conf. nota ad v. 298.

306. *Piorum*) Id eſt, heroum, qui in campis Elyſiis ſeu in Wallhalla vitam degebant. *Martial.* Lib. XII. Ep. 52.

Accipient olim cum te loca laeta piorum
Non erit in Stygia notior vmbra domo.

Corn. Seueri Aetna v. 641.

Nec ſanctos iuuenes attingunt ſordida fata,
Sed vere ceſſere domus et iura Piorum.

Vid. *Theod. Gorall. in not.* p. 176. de origine vocis pius. *Idem ad C. Ped. Albinou.* Eleg. I. v. 5. et *in cur. ſecund.*

Ita etiam *beati homines* eleganter auctoribus pro diuitibus, et qui in lauta re verſantur, ponuntur; cumque hodie fere vox haec de ſalute animae ſoleat vſurpari, veteres eam etiam in deſcribendis bonis fortunae, adhibuerunt. *Giſb. Cuper. in Obſeru.* L. III. c. 1. p. 263.

Notandum, maiores noſtros in pagana ſuperſtitione viuentes ſepulcra, ſancta, et quoslibet mortuos ſibi finxiſſe ſanctos, omnique igitur pietatis cultu proſequendos, putaſſe, quod ex *indiculo ſuperſtit. et paganiarum apud Baluz.* Tom. I. p. 151. diſcere licet. In lingua vernacula vox *Fromm*, quae hodie ſignificat pios, antiquis ſenſum habebat, Fortis, ſtrenui. *Wachter in Gloſſ. Germ.* col. 494 495. Lectio Cl. Moshemii eſt *priorum.* Fiſcher.

Sed an omnia haec quadrent in *Hunnos*, vix crediderim. Fort. *Moshemii* correctura in *priorum* recte ſe habet; vt ſit: *maiorum.* Bieſter.

309. *Ocius accurrunt pincernae*) *Priſcus* pag. 53. „Vnicuique aderat pocillator vnus quem oportebat „ordine ingredi, exeunte Attilae pincerna.“

310. *Pocula plena dabant, et inania ſuſcipiebant*) *Priſcus* l. l. „Nec ante ſedere ei fas, priusquam, guſtato „aut hauſto vino, poculum pincernae reddidiſſet. Eodem „modo aſſidentem eum reliqui conuiuae honorarunt „accipientes calyces.“

Digitized by Google

Hoſpitis ac regis certant hortatibus omnes.
Ebrietas feruens tota dominatur in aula.
Balbutiit madido facundia fuſa palato.
Heroas validos plantis titubare videres.
Taliter in ſeram produxit bachica noctem
Munera Vualtharius, retrahitque redire volentes;
Donec, vi potus preſſi ſomnoque grauati,
Paſſim porticibus ſternuntur humo tenus omnes.
Et licet ignicremis vellet dare moenia flammis,

311. *Hoſpitis ac regis certant hortatibus omnes) Corn. Graph. ex Ol. Magno* L. XIII. c. 4. „Religioſum „ducunt, ſtando pro reuerentia numinum ac principum „bibere, et quaſi in agone per ſudorem contendere, „quis vno vel altero vel multiplicato hauſtu, amphoram „vacuet capitolinam.“

Priſcus p. 66. „Attilas nos ex Thracum inſtituto ad „parium poculorum certamen prouocauit.“

312. *Ebrietas feruens tota dominatur in Aula)* Hac intemperantia paene omnes Barbarorum gentes male audiunt. *Tacit. de Mor. Germ.* c. 22. „Diem noctem„que continuare potando nulli probrum.“ Vid. *Dithmar. in not.* p. 134. De Thracibus *Alex. ab Alex. Gen. dier.* L. V. c. 21. fol. 297. *De Lithuanis, Moſcouitis et Tartarorum gente Matthias a Michou, in Sarmatia Europaea* L. II. cap. 3. „Potentes cum conuiuari coeperint ſedent a meridio in „medium noctis, continuo cibo et potu ſeſe opplendo, „et a menſa, quoties natura propellit, aſſurgendo et „egerendo iterum atque iterum, vocant, vsque ad vomi„tum et amiſſionem diſcretionis et ſenſus, tuncque in„guinis et capitis, quae ſint diſcrimina, neſciunt: eſtque „illa conſuetudo pernicioſa in Lithuania et Moſchouia „magis vero et absque rubore in Tartaria.“ De Perſis *Lipſ. ad Tac. Germ.* p. 557. *Iul. Caeſ. Bulenger. de Imp.* L. II. c. 41. p. 193 ſeq. et qui hos male exſcripſit *Franc. Ferd. Schroetter in Diatr. de Iurisprud. Vet. Perſar.* Sect. V. c. 6. De Attilae Conuiuiis in ſpecie *Priſcus in Excerpt. legat.* p. 68. „Vt vero conuiuium ad multam „noctem ferunt, minime diutius nobis compotationi „indulgendum eſſe duximus, ſed frequentes exiuimus.“

319. *Et licet ignicremis vellet dare moenia flammis)* Nihil in antiqua Germanorum hiſtoria frequentius, quam procuratum inimicorum viuicomburium, in propriis ipſorum aedibus. Vt ex centenis exemplis ſaltem vnum alterumque producam. Vid. *Thorm. Torfaei Hiſt. Norueg.* P. I. L. IV. c. 9. p. 183. c. 12. p. 188. P. II. L. II. c. 15. p. 134. *De Piſtorius in Diſſ. de Diffidationibus Vet. Germ.* ſeu *in adpend. Berlichingii ſui.* Eadem conſuetudo apud Perſas obtinuiſſe videtur. *Corn. Nep. in Alcib.* c. 10. „Miſſi clam vicinitati, in qua tum Alcibia„des erat, dant negotium, vt eum interficiant. Illi „cum eum ferro aggredi non auderent, noctu ligna „contulerunt circa caſam eam, in qua quieſcebat, eam„que ſuccenderunt, vt incendio conficerent, quem „manu ſuperari poſſe diffidebant. Ille autem vel ſonitu „flammae eſt excitatus, etſi gladius ei erat ſubductus, „familiaris ſui ſubalare telum eripuit. Namque erat „cum eo quidam ex Arcadia hoſpes, qui nunquam di„ſcedere voluerat. Hunc ſequi ſe iubet, et id, quod „in praeſentia veſtimentorum fuit, arripuit. His in „ignem eiectis, flammae vim tranſiit. Quem vt bar„bari incendium effugiſſe eminus viderunt, telis miſſis „interfecerunt, caputque eius ad Pharnabazum retu„lerunt.“

319. *Ingnicremis)* Scil. igne cremantibus. *Du Cange in Gloſſ.* Vol. V. col. 1306.

320. *Remanſit) Pactus Leg. Salicae t. 19. de incendiis.* „Si quis cauſam quamlibet, intus dormientibus homi„nibus, incenderit. . . ſi aliqui ibidem *remanſerint.* . . „Sol. C. culpabilis iudicetur.“ Conf. *Du Cange* T. V. *Gloſſ.* col. 1311.

Luber hic ex antiquiſſima et rariſſima Legis Salicae editione, quam infra ad v. 948. nominauimus, locum adponere, quo aliae omnes carent. p. 123. in fine Decreti Child. R. „Expliciunt legis Salicae libri III. quam „Chlodoueus rex Francorum ſtatuit, et poſtea vna cum „Francis pertractauit, vt ad titulos aliquid amplius ad„deret, ſic vt a primo vsque ad LXXVIII. perduxit. „Inde vero Childebertus poſt multum tempus tractauit, „vt quicquid inuenire potuerit, ibi cum Francis adde„ret: hoc eſt, à LXXVIII. vsque ad LXXXIIII. quicquid „inuenit digne, ibidem impoſuiſſe dignoſcitur. Iterum „cum hos titulos Chlotharius a germano ſuo ſeniore „gratanter excepit, ſic et ipſe ſimiliter cum regni ſui „ſapientibus inuenit, vt a LXXXIIII. adderet. Et ita „perfectum. Et inde quae ipſe inuenit, ad fratrem „ſuum reſcripta direxit. Et ita inter ſe firmauerunt, „vt iſta omnia, quae conſtituerunt, inuiolabiliter, omni„que tempore, conſeruata fuiſſent.“ Fragmentum mendoſiſſimum quod Clar. *Eccardus ad Leg. Sal.* p. 139. ex Cod. Guelferbytano exſcripſit, nunc illuſtratur. „Pri„mus rex Francorum ſtatuit a primo vsque LXII. di„ſpoſuit iudicare: poſt modo autem tempus cum obti„matis ſuis a LXIII. titulum vsque ad LXXVIII. adde„dit. Sic vero Childebrandus rex, poſt multum autem „tempus pertractauit, quid addere debixit, ita a LXXVIIII. „vsque ad LXXXVIII. peruenit, quod ibidem digne „impoſuiſſe noſcuntur et ſic fratri ſuo Chlotario haec „ſcripta transmiſit. Poſt haec vero Chlotarius cum hos „titulos a germano ſuo ſeniore gratanter accepit, ſic „poſtea cum rignum ſuum pertractauit, vt quid addere „debirit ibidem, quid amplius dibiat conſtruhere, ab

Digitized by Google

Nullus, qui cauſam potuiſſet ſcire, remanſit.
Inde dilectam vocat ad ſemet mulierem,
Praecipiens, cauſas citius deferre paratas.
Ipſeque de ſtabulis victorem duxit equorum,
Quem ob virtutem vocitauerat ille leónem.
Stat ſonipes, ac fraena ferox ſpumantia mandit.
Hunc poſtquam phaleris ſolito circumdedit, ecce,
Scrinia plena gazae lateri ſuſpendit vtrique,
Atque iteri longo modicella cibaria pónit,
Loraque virgineae mandat fluitantia dextrae.
Ipſeque, lorica veſtitus more gigantis,
Impoſuit capiti rubras cum caſſide criſtas,
Ingentesque ocreis ſuras complectitur aureis;
Et laeuum femur ancipiti praecinxerat enſe,

„LXXXVIII. titulos ad LXLIII. Statuit permanere et „ſic poſtea fratre ſuo reſcripta direxit, et ita inter eis „conuenit, vt iſta omnia ſicut anteriore conſtructa „ſtarent."

321. *Inde dilectam—*) Claudicat verſus. Leg. *Iam nunc dilectam* — Bieſter.

324. *Quem ob virtutem vocitauerat ille leonem*) Et infra v. 757.

Quem ſpadix geſtabat equus.

Oſſian in Fingal. c. I. „Before the right ſide of the „car is ſeen the ſnorting horſe. The high-maned, „broad-breaſted, prond, high-leaping, ſtrong ſteed of „the hill. Load and reſounding is his hoof; the ſprea-„ding of his mane above is like that ſtream of ſmoke „on the heath. Bright are the ſides of the ſteed, and „his name is Sulin-Sifadda. On the left ſide of the „car is ſeen the ſnorting horſe. The dark-maned, „high-headed, ſtrong-hoofed, fleet, bounding ſon of „the hill; his name is Duſronnal amongſt the ſtormy „ſons of the ſword." Homeri Iliad. T. v. 399.

Σμερδαλεον δ' ἱπποισιν εκεκλετο πατρος ἑοιο·
Ξανθε τε και βαλιε, τηλεκλυτα τεκνα Ποδαργης,
Αλλως δη φραζεσθε σαωσεμεν ἡνιοχηα
Αψ Δαναων ες ὁμιλον. —

325. *Stat Sonipes, ac frena ferox ſpumantia mandit*) Notus verſus a Virgilio L. IV. v. 135. mutuo ſumptus.

326. *Hunc poſtquam phaleris ſolito circumdedit*) *Iuſt. Lipſ. de Milit. Rom.* L. II. Dial. 12. p. 109. *Tacit. de Mor. Germ.* c. 15. „Electi equi, magna arma, pha-„lerae torquesque." *Fer. Helper.*

Hic phaleratus equus, grauidus auroque metallis,
Terga recepturus regem in ſua gaudet.

Io. Ge. Eſtor in Obſeru. Iur. Feud. Obſ. LXII. pag. 52. Equi pariter tegebantur coopertoriis, vt vocantur ferriis, vel veſte e ferreis circulis contexta. Vt plurimum vero caput tantum et pectus equi ambiebant lamina ferrea vel coriaca. Tunc equum dicebant phaleratum, cheval hardé, qualis conſpicitur in fronte *origin. Iur. publ. Haſſ.*

Gabr. Daniel in Hiſt. Mil. Franc. Tom. I. L. VI. c. 2. p. 292 ſeq.

330. *Ipſeque lorica veſtitus more gigantis*) Conf. infra v. 449—453.

Eſtor in Obſeru. Iur. feud. obſ. 73. p. 56. 57.

330 *Lorica*) *Diodor. Sicul. in Bibl.* L. V. pag. 420. „Thoraces induunt (Galli) ferreos et hamatos."

331. *Impoſuit capiti rubras cum caſſide criſtas*) *Virgil.*

— Criſtaque tegit galea aurea rubra
— Criſtasque rubentes
Excipiam ſorti
— purpureis criſtis iuuenes.

Lipſ. de Milit. Rom. L. III. Dial. V. p. 141. De rubeis criſtis apud varios populos *Io. Iac. Witter in Diſſ. de galeis Vet.* C. III. p. 21. Caeterum Germanorum galeas deſcripſit *Eſtor, in Obſeru. Iur. feud.* LVI. LVII. p. 49. 50. *Daniel Hiſt. de la Milice Françoiſe,* Tome I. p. 283. ſuiu. Gallorum vero *Diodor. Sicul.* L. V. p. 307. Cimbrorum *Plutarch. in Mar.* p. 420.

332. *Ingentesque ocreis ſuras complectitur aureis*) *Montefalcon. in diſquiſ. de re veſt. Vet. Franc. reg.* § 8. p. 39. Quod calceos ſpectat, non multum illi differunt ab hodiernis. Reges eodem pene modo calceati ſunt, paucis exceptis, vt Chlodoueo, cuius ſuperna pedis ſuperficies aperta eſt, nec tegitur calceo, et Carolo Caluo, qui in tabella quadam depicta ſingulari prorſus modo calceatus eſt. Conf. not. ad v. 265.

333. *Et laeuum femur ancipiti praecinxerat enſe*) Id etiam antiquiſſimis temporibus Franci facere ſolebant. *Agath.* L. II. E contra reliqui Germanorum Spathas dextro adpendebant lateri. *Dithmar. in not. ad Taciti Germ.* c. 6. p. 32. Quod etiam priſci Romani facere conſueuerant ecu docet *Godeſch. Stewech. in Comment. ad Flau. Veget. de re milit.* L. I. p. 64. „Ex

Digitized by Google

Atque alio dextrum pro ritu Pannoniarum,

„quibus figuris etiam illud obſeruabam, libera Republica „ac florente imperio, minores Romanis gladios fuiſſe, „geſtatosque a dextra, qui declinante imperio, maiores „fuerunt pendentes a ſiniſtra. Qui etiam hodie gladii „geſtandi mos permanet. Illi rei etſi plura teſtimonia „ſuppetant; dicis cauſſa vnum tantum recitabo ex „*Polybii fragmentis* L. VI. — *Horat. Epod.* Ode VII. „v. 1. 2." Sed valde dubitat Clariſſ. *Lipſius in* L. III. *milit. Rom.* Dial. III. p. 130. et hac in re variatum eſſe putat. Nec nodum ſatis extricauit *ὁ πάνυ Barth. in Aduerſ.* L. XXXII. c. 22. col. 1501. quia *Alcim. Auit.* et *Sidon. Apollin.* ſaltim ex ſui aeui moribus loquuti ſunt. Citatus *Lipſius* alio loco in L. I. *Comment. in Tacit. Ann.* p. 51—54. plane negat, Romanos vnquam dextro latere gladios geſtaſſe, imo hunc locum pugionis fuiſſe affirmat. Denique doctiſſimus *Claud. Salmaſ. in not. ad Spartiani Seuer.* T. I. *Hiſt. Auguſtae* pag. 600. rem ita expoſuit: quae (verba *Dionis*) notanda ſunt ob id ſolum, quod indicant, praetorianos milites non ceterorum militum more laeuo latere accinctos enſes habuiſſe, ſed dextro, quod neſcio an alibi legatur: vt memoria nunc mea ſe habet, non recordor legiſſe. *Polybius* militem Romanum ſua aetate, dextro latere cinctum enſem geſtaſſe ſcribit. — Poſtea, vt videtur, et ſub imperatoribus ſoli praetoriani milites ita cincti, reliqui vero ſiniſtros enſes habuere. Hinc eſt, quodin columna Traiani et Antonini milites viſuntur ad dextrum femur gladio cincti. Praetorianos eos eſſe liquet, quibus enſes ad dextrum alligati; quod niſi nos docuiſſet hic *Ioannis Antiochenſis* locus, aeternum fortaſſe ignoraremus.

333. *Femur — praecinxerat) Polyb. fragm.* L. VI. „Vna cum ſcuto gladium imperant, quem fert ad dextrum femur."

Agathias Hiſt. L. II. de Francis. „Enſis a femore — „dependet." Quod etiam monumentis in Tom. I. *Montefalconii* Tab. X. XI. XII. exiſtentibus probatur.

Procop. L. II. *de Bello Goth.* auctor eſt, militem francicum *gladio, cuius capulus eſſet breuiſſimus,* ſcuto et vna ſecuri armari ſolitum. Conf. cit. *Monum.*

333. *Ancipiti — enſe)* Ex omnibus monumentis conſtat, antiquos gladios Germanorum duplicis aciei fuiſſe.

Coniectura igitur *Gabr. Danielis in Hiſt. Milit. Francor.* Tom. I. p. 299. eos tantum vnius aciei fuiſſe, male ſe habet. „Je crois, inquit, que les épées d'alors, même les „ordinaires n'étoient tranchantes que d'un coté; car outre „que faites de cette maniére, elles étoient beaucoup „plus fortes et plus propres pour fracaſſer les armes „defenſives, c'eſt qu'un paſſage de Rigord me le fait „conjecturer. Il dit qu'à la Bataille de Bovines quelques-uns des Ennemis avoient, au lieu de glaives ou „d'épées ou de lances, pro gladiis, de petites coûteaux, „cultellos, qu'il n'appelle pas ainſi, parcequ'ils étoient „court; il dit au contraire, qu'ils étoient longs, longos, mais parce-qu'ils étoient fort menus, graciles, „tranchans, dit-il, des deux côtez et depuis la pointe „jusqu' à la poignée. Il dit, qu'on n'en avoit jamais „vû de cette ſorte: Genere armorum admirabili et hactenus inaudito. Ce qui ſemble ſuppoſer ce que je „dis, que les épées, dont on ſe ſervoit à la Guerre „n'étoient tranchantes, que d'un côté."

Plures errores Auctor hic commiſit. Nam cultri vel cultelli ſunt quidam gladii breuiores quos tam Germani quam Francigenae dextro latere gerebant, prout de his teſtatur *Guiliel. Brito Philipp.* L. VIII. v. 353.

> Haſtis nil agitur, gladius, ſolusque cutellus
> Mortifer afficiunt alternis agmina plagis.

Id. L. XI.

> Ille autem pedes in medio veſtigia firmat,
> Seque habet inter eos irati more Leonis
> Nunc cultro nunc enſe furens.

Nec *Rigordus* morem Germanorum cultros ancipites portandi miratus eſt, ſed potius TRIACVTAS *eorum formas, quolibet acumine indifferenter ſecantes*, ipſi ſtuporem excuſſerunt. *Habebant* (ſunt verba ipſius p. 219) *cultellos longos, graciles,* TRIACVTOS, QVOLIBET ACVMINE INDIFFERENTER SECANTES, *a cuſpide ad manubrium, quibus vtebantur pro gladiis.*

Iam antiquiſſimos Gallici originis populos, gladios ancipites habuiſſe, teſtis eſt *Suidas:* „Celtiberi, inquit, „paratura gladioru longe aliis antecellunt. Nam et „mucronem validum habent, et ictum potentem ex „vtraque parte. Quare et Romani viſitatos et patrios „gladios deponentes a temporibus Annibalis iſtos Hiſpanorum aſſumpſerunt. Et formam quidem aſſumpſerunt, ipſam vero bonitatem ferri et aliam accuratiionem nequaquam imitari potuerunt." *Diodor. Sic. in Bibl.* L. VI. „Gladios ferunt ancipites et vtrimque „incidentes, ferro praeſtantiſſimo factos."

Nec apud Germanos longorum cultellorum vſus tam recens fuit, vti *Gabr. Daniel.* ex male intellecto *Rigordi* loco coniecturauit. *Witticbind.* enim *Corbei. Ann.* L. I. p. 5. dixit. „Erat illis diebus Saxonibus „longorum cultellorum vſus, quibus vsque hodie Angli „vtuntur, morem gentis antiquae ſectantes. Cultelli „autem noſtra lingua Sahs dicuntur: ideoque aiunt „quidam Saxones appellatos." Et *Diodor. Sicul.* cit. L. „Habentes et gladiolos XII. digitorum adiunctos, quibus vtuntur iuncta pugna et in complexu."

Gobel. Perſona Coſmodr. Aet. V. c. 11. p. 159. „Et „erant (Sax.) veſtiti deſuper longis ſagis, longas haſtas „et ſcuta parua portabant, et cultellos latos ad tenes „gerebant, ac per ſcapulas longa diffuſa caeſarie incedebant, ita quod Francis propter habitum peregrinum „et ferocitatem miracula fuerunt."

Per locum *Matthaei Paris.* „Ipſe Otho cum gladio, „quem tenebat, *ad modum ficae ex vna parte acutum,* „hoſtibus ictus importabiles hinc inde iunctis manibus „imprimens, quoscunque attingebat, vel attonitos reddebat, vel ſeſſores cum ipſis equis ſolotenus proſternebat." Extra dubium ponitur, gladios duplicis, ficas vero et cultros regulariter ſaltim vnius aciei fuiſſe.

334. *Atque alio dextrum)* Ceu Galli conſueuerant. *Diodor. Sicul. Bibl.* L. V. p. 307. „Loco gladii ſpathas „habent oblongas ferreis ſiue aereis catenis dependentes ad latus dextrum."

Digitized by Google

Is tamen ex vna dat tantum vulnera parte.
Tunc haſtam dextra rapiens, clipeumque ſiniſtra,
Ceperat inuiſa trepidus decedere terra.
Foemina duxit equum, nonnulla talenta gerentem;
In manibusque ſimul virgam tenet ipſe colurnam,
In qua piſcator hamum transponit in vndam,
Vt cupiens paſtum piſcis degluciat vncum.
Namque Vualtarius erat vir maximus vndique telis,
Suſpectamque habuit cuncto ſibi tempore pugnam.
Omni nocte quidem properabant currere; ſed, cum
Prima rubens terris oſtendit lumina Phoebus,
In ſiluis latitare ſtudent, et opaca requirunt,
Sollicitatque metus, vel per loca tuta fatigans;
In tantumque timor muliebria pectora pulſat,
Horreat vt cunctos aurae ventique ſuſurros,
Formidans volucres, colliſos ſiue racemos.
Hinc odium exilii, patriaeque amor incubat inde;
Vicis diffugiunt, ſpecioſa noualia linquunt,
Montibus intonſis curſus ambage recuruos
Sectantes; tremulos variant per deuia greſſus.
Aſt vrbis populus, ſomno vinoque ſepultus,
Ad medium lucis ſiluit recubando ſequentis.
Sed, poſtquam ſurgunt, ductorem quique requirunt,
Vt grates faciant, ac feſta laude ſalutent.
Attila, nempe manu caput amplexatus vtraque,
Egreditur thalamo rex, Vualthariumque dolendo
Aduocat, vt proprium quereretur forte dolorem.
Reſpondent ipſi, ſe non potuiſſe, miniſtri,
Inueniſſe virum; ſed princeps ſperat, eundem
Hactenus in ſomno tentum recubare quietum,
Occultumque locum ſibi delegiſſe ſopori.

334. — — *pro ritu Pannoniarum,*

335. *Is tamen ex vna dat tantum vulnera parte)* Fgregius verſus quo ſupra citata opinio R. P. *Danielis* pleniſſime refutatur. Nam ex eo apparet, Hunnorum tantum ſingularem morem fuiſſe, gladios vnius aciei habere.

Leges Piraticae Halfi Regis ap. *Thorm. Torf. Hiſtor. Norueg.* P. I. p. 186. „Gladii vnica tantum acie ſupe„rius craſſi tubo lato ictibus aggrauandis idonei.“

342. *Namque Vualtharius erat vir maximus vndique telis)* Metrum ſalſum eſt. Leg. aut: Namque Vualtar erat v. m. v. t. aut: Namque Vualtharius vir m. v. t. aut denique: Nam Vualtarjus erat v. m. v. t. Bieſter.

359. *Attila nempe manu caput amplexatus vtraque*
360. *Egreditur)* *Priſcus* quidem Attilae frugalitatem inſigniter laudibus extollit, alio loco tamen ipſius vinolentiam confitetur. *Iorn.* p. 478. „eiusque in nuptiis nimia hilaritate reſo„lutus, vino ſomnoque grauatus reſupinus iacebat, re„dundansque ſanguis, qui ei ſolite de naribus effluebat, „dum conſuetis meatibus impetitur, itinere ferali fau„cibus illapſus eum extinxit. Ita glorioſo per bella „regi temulentia pudendum exitum dedit.“

Digitized by Google

Oſpiru, Hiltgundem poſtquam cognouit abeſſe,
Nec iuxta morem veſtes deferre ſuetum,
Triſtior immenſis ſatrapae clamoribus inquit:
„O deteſtandas, quas heri ſumpſimus eſcas!
„O vinum, quod Pannonias deſtruxerat omnes!
„Quod Domino regi iam dudum praeſcia dixi,
„Approbat iſte dies, quem nos ſuperare nequimus.
„En hodie imperii noſtri cecidiſſe columna
„Noſcitur,' en robur procul iuit, et inclita virtus,
„Vualtharius lux Pannoniae diſceſſerat inde.
„Hiltgundem quoque mi caram deduxit alumnam."
Iam princeps nimia ſuccenditur efferus ira,
Mutant laetitiam moerentia corda priorem.
Ex humeris *trabeam* diſcindit ad infima totam;
Et nunc huc animum triſtem, nunc diuidit illuc.
Ac vti Aeolicis turbatur harena procellis,
Sic inteſtinis rex fluctuat vndique curis;
Et varium pectus vario ſimul ore imitatur,
Prodidit externe quicquid tolerauerat intus.

380. *Trabeam) Coripp.* L. IV. n. 2.
Conſcendit princeps, trabea ſuccinctus auita,
Regalem ditans auguſta fronte coronam
Ibid. n. 3.
Ipſe autem ſacro diademate fulgens,
Ornatus trabea, gemmisque oſtroque nitebat.
Venant. Fortun. L. XII.
Alter palmatae, trabeae nitet, alter honore.
Pingit et ornatum gemma aurum purpura byſſus.
Vid. *Iul. Caeſ. Bulenger. de Imperat.* L. I. c. 16. p. 38 ſeq. *Thom. Demſter. in paralipom.* ad L. X. cap. 29. *Ant Rom. Roſini* p. 720.

Praeſtat hic locum de re veſtiaria priſcorum Francorum regum adponere. *Montefalcon. in Diſquiſ. praeuia ad* Tom. I. *Monum. Monarchiae Franc.* § 8. pag. 37.
„Chlamys in vſu Romanis erat, qui illam, dum rure
„verſarentur, geſtabant. Ea in re tantum chlamys a
„toga Romana differebat, quod longe breuior eſſet, et
„quod humero dextro fibula necteretur, ſicque orae
„chlamydis iungerentur, ita, vt dextrum brachium
„omnino liberum eſſet, cum contra ſiniſtrum ſub chla-
„myde lateret, quam vt libere agere poſſet, ipſo bra-
„chio attollebat. Chlodouaeus vero cum codicillos
„conſulatus ab Anaſtaſio Imp. accepiſſet, inquit, *Gre-*
„*gor. Turon.* tunicam blatteam induit et chlamydem,
„quam ab illo tempore geſtauit. Cum chlamyde viſitur
„in oſtio Eccleſiae noſtrae; ſucceſſores quoque illius
„Reges illam geſtarunt. Neſcitur porro an illa in ce-
„remoniis tantum et ſolennitatibus amicerentur, an
„vſus quotidiani eſſet. Certum etiam eſt, Reges, a
„priſcis temporibus ad infima vsque ſaecula in Monu-
„mentis ſaepe conſpici cum pallio anterius aperto,
„quale geſtabatur a nationibus Germanicis et Septen-
„trionalibus, vt deprehenditur in columnis Traiana et
„Antonina, quale etiam priſce geſtabatur a Graecis.
„Quidam ex regibus illis priſcis, qui nimbo ornantur,
„huiusmodi pallia geſtant, hodiernis affinia. Attamen
„mos, geſtandi chlamydem humero dextro annexam, ho-
„dieque ſeruatur in Regum conſecrationibus. Tunica,
„veſtis interior, Romae priſci vſus erat: Chlodouaeus
„in Caerimonia conſulatus ſui tunicam ſub chlamyde
„induit — Tunicae priſcorum Regum, quae in oſtio
„Sangermanenſi viſuntur, admodum longae ſunt et ad
„terram vsque defluunt. Ea erat, vt puto, cerimoniae
„veſtis: neque enim veriſimile eſt, illos in venatu, in
„bello, in aliisque exercitationibus, tam incommoda
„veſte vſos eſſe. In muſiue opere Romano Carolus M.
„cum tunica repraeſentatur, quae ad genu vix pertin-
„git. Hoc genus veſtis plurimas in ſequenti admiſit
„varietates, vt obſeruabitur." Conf. *Caroli Du Freſne* Diſſ. I. *ad Joinvillam, recuſa in* P. I. *Piſtorii Amoenit. Iurid. Polit.*

382. *Ac vti) Ac ſicut.* Bieſter.

384. *Et varium pectus vario ſimul ore imitatur,*

385. *Prodidit externe, quicquid tolerauerat intus) Scip. Claramont. Ceſenat. de coniectand. cuiusque moribus et latitantibus animi affect.* L. IX c. 12. pag. 314. Quantam diligentiam antiquiſſimi ſcriptores rerum Germanicarum, in deſcribendis animi affectuum externis ſignis, adhibuerint, ſaltem vnico exemplo demonſtrare lubet.

' *Thorm. Torf. Hiſt. Norueg.* P. II. pag. 166. „Eigill

Digitized by Google

Iraque ſermonem permiſit promere nullum.
Ipſo quippe die potum faſtidit et eſcam,
Nec placitam membris poterat dare cura quietem.
Namque, vbi iam rebus nox dempſerat atra colores,
Decidit in lectum; verum nec lumina clauſit.
Nunc latus in dextrum fultus, nunc inque ſiniſtrum,
Et veluti iaculo pectus transfixum acuto,
Palpitat, atque caput huc, et mox iactitat illuc,
Et modo ſubrectus fulcro conſederat amens.
Nec iuuat, hinc demum ſurgens diſcurrit in vrbem,
Atque thorum veniens ſimul attigit atque reliquid.
Taliter inſomnem conſumſerat Attila noctem.
At profugi comites, per amica ſilentia euntes,
Suſpectam properant poſt terga relinquere terram.
Vix tamen erupit cras rex patribusque vocatis
Dixerat: „o ſi quis mihi Waltharium fugientem
„Afferat euinctum, ceu nequam forte liciſcam.
„Hunc ego mox auro veſtirem ſaepe recocto,
„Et tellure quidem ſtante hinc atque inde onerarem,
„Atque viam penitus clauſiſſem *viuo* talentis.“
Sed nullus fuit in tanta regione tyrannus,

„igitur, vt erat galeatus, aſſedit, ſubſtratoque pedibus „clypeo, gladium vagina conditum genibus impoſuit. „Quem mediotenus per vices, vel eduxit, vel condidit. „Ipſe in ſede erectus, facie valde pallida; trucem vul„tum ſpecies reliqua exaſperauit; inflatae buccae et „tumidae; magna ſeque inuicem attingentia ſupercilia, „papillae oculique nigri, naſus breuis et admodum „craſſus; eadem mento forma, labra praegrandia, mul„tum barbae fundamen, craſſa ceruix, frons lata, lati „humeri, capillus lupino colore, ſtatura ingens; emi„cabat ex ore, quoties ira incaluit, ferocia. Is talis, „ira ſimul et moerore aeſtuans interdum ſupercilia in „genam demiſit, interdum in frontem ad radices vsque „capillorum eleuauit. Pocula, quae propinabantur „recuſauit. Hos, turbidi excitatique animi motus anim„aduertens Rex etc.“

392. *Et veluti iaculo pectus* TRANSFIXVM *acuto*) Leg. *transfixus* metri cauſa. Bieſter.

396. *Reliquid*) Sic infra v. 1056. *Alpharides morere*, INQVID. De commutatione literarum D. et T. vid. *Rad. Forner. rer. Quotid.* L. I c. 10. p. 12.

402. *Liciſcam*) Infra v. 1229.

— Ecce latebrae
Proteuus abſiſtunt, ex queis de more Liciſcae
Dentibus infrendens rapidis latrare ſolebas.

Virgil. Eclog. III. v. 18.

Non ego te vidi Damonis, peſſime, caprum
Excipere inſidiis, multum latrante *Lyciſca?*

Seru. ad h. l. Lyciſcae ſunt, vt etiam *Plinius* dicit, canes nati ex lupis et canibus, cum inter ſe forte miſcentur. Fiſcher.

Nunquam mihi perſuadetis, hanc eſſe veram lectionem: *ceu nequam forte liciſcam.* Optauerim, videre ipſe Codicem. Forte in vltima voce latet *vlciſcar.* Etiam inſequentes verſus, 404 et 405. indigent interpretatione, haud ſcio an et emendatione. Pro *auro*, v. 403. leg. *oſtro*, i. e. purpura. A v. 402—405. incl. locus eſt mendoſus. Bieſter.

405. *Viuo*) Vox Celtica vti in hoc carmine plures.

406. *Tyrannus*) Reguli Barbarorum a ſcriptoribus infimae aetatis ſaepius *tyranni* vocantur. *Coripp. de laud. Iuſtin.* L. III.

Sub quo Wandalici ceciderunt ſtrage tyranni.

Noſter v. 176.

Promittensque iſtos ſolita virtute tyrannos
Sternere.

Cornel. Nepos in Vita Miltiad. c. 8. „Nam Cherſo„neſi omnes illos, quos habitarat annos, perpetuam „obtinuerat dominationem, *tyrannusque fuerat appel„latus, ſed iuſtus.* Non erat enim vi conſecutus, ſed „ſuorum voluntate; eamque poteſtatem bonitate reti„nuerat. *Omnes autem et habentur et dicuntur tyran„ni, qui poteſtate ſunt perpetua in ea ciuitate, quae li„bertate vſa eſt.*“

Antiquiſſimi Graecorum Tyranni, erant principes legitimae et perpetuae poteſtatis in libera ciuitate. Ipſa

Digitized by Google

Vel Dux, ſiue comes, ſeu miles, ſiue miniſter,
Qui, quamuis cuperet proprias oſtendere vires,
Ac virtute ſua laudem captare perennem,
Ambiretque ſimul gazam infarcire crumenis,
* Waltharium tamen iratum praeſumſerit armis
Inſequier, ſtrictoque virum mucrone videre.
Nota equidem virtus, experti ſunt quoque, quantos
Incolumes dederit ſtrages ſine vulnere victor,
Nec potis eſt vllum rex perſuadere virorum,
Qui promiſſa velit hac conditione talenta.
Waltharius fugiens, vt dixi, noctibus ibat,
Atque die ſaltus arbuſtaque denſa requirens,
Arte accerſitas pariter capit arte volucres,
Nec fallens viſco, nec fiſſo denique ligno.
Aſt, vbi peruenit, quo flumina curua fluebant,
Immittens hamum rapuit ſub gurgite praedam,
Atque famis peſtem pepulit, tolerando laborem.
Namque fugae toto ſe tempore virginis vſu
Continuit vir Waltharius, laudabilis Heros.
Ecce quaterdenos ſol circumflexerat orbes,
Ex quo Pannonica fuerat digreſſus ab Vrbe;
Ipſo quippe die, numerum qui clauſerat iſtum,
Venerat ad flumen iam veſpere tum mediante,
Scilicet ad Rhenum, qui curſum tendit ad vrbem
Nomine Vuormociam, regali ſede nitentem.

vox Linguae Graecae aegre accommodari poteſt, et a Celtis mutuata videtur, quibus *Teyrn* rex, *teyrnas* regnum, *teyrnaſſu* regnare, quas voces etiamnum cuſtodiunt *Walli* in Britannia teſte *Pezron. in Antiqu. Celt.* p. 419. cui hanc tyranni etymologiam debemus. Extat et *mechdeyrn* pro ſummo imperatore, apud *Boxhorn. in Lex. ant. Brit.* *Wachter in Gloſſar. Germ.* col. 1732. *Du Cange* Tom. VI col. 1365.

407. *Miles*) *Auiti* Epiſt. XLI. *Edit. Sirm.* pag. 94. „Quod apud Dominum meum (Gondebaldum) ſuae qui„dem gentis (Burgundionum) regem, ſed *Militem* ve„ſtrum obtinuiſſe me ſuggero. Nihil quippe eſt, in „quo ſeruire non poteſt.“ De ſingulari ſignificatione verbi *miles* Seculo V. vſitata ampla exſtat diſſertatio ap. *Dubos. in Hiſt. crit. Monarch. Franc.* Tom. II. pag. 518 ſeqq.

424. *Namque fugae toto ſe tempore virginis vſu*
425. *Continuit vir Waltharius laudabilis heros*) Auctor Monachus ſe moribus Chriſtianis applicauit, nam alias Barbari hac in re tanta temperantia vſi non ſunt. Vid. *Diſſert. mea de noctibus praeguſtatoriis puellarum in Germania.* (Von den Probenaechten der teutſchen Bauermaedchen. Berlin und Leipzig bey Decker 1780.) *Wilh. Malmesbr. in Vita S. Wulſtani Ep. Wigorn. in Anglia ſacra.* Vol. II. p. 258. „Ab his Wulſtanus mo„rem vetuſtiſſimum ſuſtulit, qui ſic animis eorum oc„calluerat, vt nec Dei amor, nec Regis Wilhelmi, „haſtenus eum abolere potuiſſent. Homines enim ex „omni Anglia coemtos maioris ſpe queſtus in Hiberni„am diſtrahebant, ancillasque prius ludibrio lecti habi„tas iamque praegnantes venum dabant.“

* Hic Mſtum meum alia manu, attamen coaeua, Saeculi ſcil. XIII. ineuntis, continuatur.

431. *Vuormociam*) Wormatia. Antiquitus celtica voce *Borbetomagus* nominata. *Io. Dan. Schoepflin in Alſat. illuſtr.* Tom. I. § 28. p. 48. Saec. V. autem Vormatia. *Libell. prou. Galliae ap. Conring. ad Tac. Germ.* p. 169. „Ciu. Vangionum, hoc eſt, Vormatia.“ *Geograph. Rauennat.* L. IV. § 26. „Item iuxta ſupraſcriptum Rhe„num ſunt ciuitates, id eſt, Gormetia.“ Sub Francis ſemper Vuormacia vocatur. *Aimoin.* L. I. c. 4. *de Geſt. Franc.* „Brunichildis in Vuormacia reſidens, eius audito

Illic pro naulo piſces dedit antea captos,
Et mox tranſpoſitus graditur properanter anhelus.
Orta dies poſtquam tenebras diſcuſſerat atras,
Portitor exſurgens praefatam venit in vrbem,
Regalique coco (reliquorum quippe magiſtro)
Detulerat piſces, quos vir dedit ille viator.
Hos cum pigmentis condiſſet et appoſuiſſet
Regi Gunthario, miratus fatur ab alto:
„Iſtiuscemodi nunquam mihi Francia piſces
„Oſtendit, reor externis a finibus illos.
„Dic mihi quanto ocius, cuias huc detulit illos?“
Ipſeque reſpondens narrat, quod nauta dediſſet,
Accerſire hominem princeps praecepit eundem,
Qui, cum veniſſet, de re quaeſitus eadem,
Talia dicta dedit, cauſamque ex ordine pandit:
„Veſpere praeterito reſidebam littore Rheni,
„Conſpexique viatorem propere venientem,
„Et veluti pugnae certum per membra paratum;
„Aere etenim penitus fuerat, Rex inclite! cinctus.
„Geſſerat et ſcutum gradiens haſtamque coruſcam.
„Namque viro forti ſimilis fuit, et licet ingens
„Aſportaret onus, greſſum tamen extulit acrem.
„Hunc incredibili forma decorata puella
„Aſſequitur, calcemque terit iam calce natore;
„Ipſaque robuſtum rexit per lora cauallum,
„Scrinia bina quidem dorſo, non parua, ferentem,
„Quae, dum ceruicem ſonipes diſcuſſerat altam,
„Atque ſuperba cupit glomerare volumina crurum,

„aduentu, ad eum dirigit, obteſtans, vt deregno Theo-„dorici, quod filiis reliquerat, ſecederet.“

Io. Fried. Moriz. in Hiſt. diplom. de origine Ciuitat. Imperial. ſpeciatim de libera ciuitate Wormat. p. 97 et 101. *Io. Nicol. Hert. in Notit. Germ. ant.* P. I. c. 1. § 5. Tom. II. opp. p. 10. *Mon. Ord. S. Bened. Gallia Chriſtiana* Vol. V. p. 660.

431. *Regali ſede nitentem*) Vormatia Francis ſemper ſubiecta fuit. *Mutius de Germ. prima origine* L. IX. *in Piſtorii Script. rer. Germ.* T. III. p. 688. *Moriz.* cit. l. p. 114.

436. *Coco*) Coquo. *Ebrard. Betun. in Graeciſmo* c. 9.
Praeſentat Dapifer epulas, *Cocus* excoquit illas,
Eſtque ſeneſcallus, cuius ſit ſub Duce iuſſus.

436. *Regalique coco reliquorum quippe magiſtro*) En hic primam mentionem Archidapiferi in aula Regum Francorum! et lege *Cang.* in Gloſſar.

Io. Chriſt. Wagenſeil. de S. R. I. ſummis Officialibus, et Subofficial. c. 12. § 3. p. 185.

Maſcou. de originibus officior. aulic. § 30. p. 28. 29.
Eſtor. de Miniſterialib. c. I. § 35. p. 48.

449. *Et veluti pugnae certum* PER MEMBRA *paratum*

450. *Aere etenim penitus fuerat*) Infra v. 536.

Paulatim rigidos ferro veſtiuerat artus.

455. *Calcemque terit iam calce*) *Virgil. Aeneid.* L. V. v. 324.

— Calcemque terit iam calce Diores.

455. *Natore*) Vox Celtica, cuius ſignificatum ignoro.

456. *Cauallum*) Pro Caballum. Ita ſcribitur vsque ad Saec. XI. Vid. *Du Cange in Gloſſar.* Vol. II. col. 5. 6.

Digitized by Google

„Dant ſonitum, ceu quis geminis illiſerat aurum.
„Hic mihi praeſentes dederat pro munere piſces.“
H s Hagano auditis, ad menſam quippe reſedit,
Laetior in medium promſit de pectore verbum:
„Congaudete mihi, quaeſo, quia talia noui,
„Waltharius collega meus remeauit ab Hunis.“
Vociferatur, et omnis ei mox aula reclamat.
Guntharius princeps ex hac ratione ſuperbus,
„Congaudete mihi iubeo, quia talia vixi.
„Gazam quam Gibicho regi transmiſit eoo,
„Hanc nunc cunctipotens huc in mea regna remiſit.“
Haec ait, et menſam pede pertulit, exiliensque
Ducere equum iubet, et ſella componere ſculpta,
Atque omni de plebe viros ſecum duodenos,
Viribus inſignes, annis plerumque probatos
Legerat, inter quos ſimul ire Haganona iubebat,
Qui memor antiquae fidei, ſociique prioris,
Nititur a ceptis dominum transuertere rebus.
Rex tamen e contra nihilominus inſtat et infit:
„Ne tardate viri, praecingite corpora ferro
„Fortia, ſquamoſus thorax iam terga recondat.
„Hic tantum Francis gazae deduxit ab horis?“
Inſtructi telis, (nam iuſſio regis adurget)
Exibant portis, te Waltharium cupientes

460. *Geminis*) *Gemina* periſtromata in Gloſſis *Iſidori* ap. *Du Fresne Gloſſar.* Tom. III. col. 858.

Clariſſ. Dom. *de Mosheim* legit *Gemmis*, et tum verſus illuſtratur ex *Sulpicii Seueri* Dial. III. § 24. „Teſtatur „Arborius ex praefecto vidiſſe ſe Martini manum ſacri„ficium offerentis, veſtitam quodammodo nobiliſſimis „gemmis, luce micare purpurea, *et ad motum dextrae „colliſarum inter ſe fragorem audiſſe gemmarum*“ Fiſcher.

Equidem crediderim: *geminis*, ſcil. *manibus*. Gradus equi concutit ſcrinia auro plena; portitor ait, ſonum eſſe aequalem illi qui prouenit, ſi quis in pugno duplicato (*geminis*) concutit aurum. Bieſter.

468. *Congaudete mihi iubeo, quia talia vixi*) Quid eſt, *quia talia vixi?* fort. *vici*, id eſt, lucratus ſum, lucror. Bieſter.

Senſus huius phraſeos germanizantis eſſe videtur: Ihr ſollt euch mir mir freuen, daſz ich das erlebt habe. Fiſcher.

471. *Pertulit*) *Perculit*. Bieſter.

472. *Ducere equum iubet, et ſella componere ſculpta*) Iamque Francorum proceres equitatu gaudebant et ephippiorum ornatu. Quare de Carolo M. optime narrat *Eginhard:* cap. 19. „Aſſidue exercebatur equitando ac venando, *quod illi gentilitium erat, quia vix vlla in terris natio inuenitur, quae in hac parte Francos poſſit aequare.*“ Locus autem *Agathiae Schol.* Lib. II. *Hiſt.* „Equis niſi paucis admodum non vtuntur, auito „more et educatione ad pedeſtrem pugnam exerciti.“ ſaltim de plebe intelligendus eſt, ceu ex *Procop. Goth.* L. II. apparet, vbi Theodebertum equites perpaucos circa ſe habuiſſe dicit.

480. *Squamoſus thorax iam terga recondat*) Non adeo bene nouit *Agath. Schol.* Francorum armaturam, cum L. II. *Goth. Hiſt.* dixit: „Loricas et tibialia „plane ignorant.“ At auctor confitetur, ſe ſaltim ex aliorum narratione ſcripſiſſe: „Parabilis eſt, inquit, „*quantum intelligo*, gentis illius armatura.“ praeſertimque Alemannorum mores ſibi ob oculos poſuiſſe. *Burc. Goth. Struu. in Not Sueuiae ant.* § 55. p. 39. De omnibus German. populis iam *Tacitus* c. 6. affirmauit, ipſos loricas geſtaſſe, cui adſtipulatur *Sil. Ital.* Lib. V. *Dithmar.* ad Tacit. p. 35. *Plutarch.* in Mario p. 420. de Cimbris „Loricis erant exculti ferreis.“

481. *Horis*) Oris. Litera H. apud Scriptores antiquos ſaepius abundat. Conf. *Rad. Forner. rer. quotid.* L. I. c. 10. p. 12.

Digitized by Google

Cernere, et imbellem lucris fraudare putantes.
Sed tamen omnimodis Hagano prohibere ſtudebat.
At rex infelix, ceptis reſipiſcere non vult.
Interea vir magnanimus de flumine pergens
Venerat in ſaltum iam tum Voſagus vocitatum.
Nam nemus eſt ingens, ſpatioſum, luſtra ferarum
Plurima habens, ſuetum canibus reſonare tubisque.
Sunt in ſeceſſu bini montesque propinqui,
Inter quos, licet anguſtum, ſpecus extat amoenum,
Non tellure caua factum ſed vertice ruptum.
Apta quidem ſtatio latronibus illa cruentis.
Angulus hic virides ac veſcas geſſerat herbas.
Hunc mox vt vidit iuuenis: „huc (inquit) eamus,
„His iuuat in caſtris feſſum componere corpus."
Nam poſtquam fugiens Auarum diſceſſerat horis,
Non aliter requiem ſomni guſtauerat idem,
Quam ſuper innixus clypeo; vix clauſerat orbem.
Bellica tum demum deponens pondera, dixit,
Virginis in gremium fuſus: circumſpice caute,
„Hiltgund; et, nebulam ſi tolli videris atram,
„Attactu blando me ſurgere commonitato;
„Et licet ingentem conſpexeris ire cateruam
„Ne ſubito excutias ſomno, mi cara, caueto.
„Nam procul hinc acies potis es transmittere puras.
„Inſtantem cunctam circa explora regionem."
Haec ait, atque oculos concluſerat ipſe nitentes.
Iamque diu ſatis optata fruitur requiete.
Aſt vbi Guntharius veſtigia in puluere vidit,
Cornipedem rapidum ſaeuis calcaribus vrget;
Exultansque animis fruſtra, ſic fatur ad auras:
„Accelerate viri, iam nunc capietis eundem;
„Nunquam hodie effugiet, furata talenta relinquet."
Inclitus at Hagano contra mox reddidit iſta:
„Si tociens tu Vualtarium pugnaſſe videres,

495. *Angulus hic virides ac veſcas geſſerat herbas)* Sic veſcas Salicum frondes *Virgil.* dixit, id eſt, minutas, III et IV. *Georg.* Veſcum papauer, quod male interpretatur *Seruius*, quo veſcimur. Veſcum corpus *Plinio* L. VI. c. 20. i. tenue, vt telae araneorum veſcae vocantur, et veſcus ὀλιγοσιτος, ὀλιγοδεης. *Gloſſ. vet.* qui modico cibo vtitur et paucis contentus eſt. Hac ratione Veſci Dei ſunt, qui minuti et Patellarii a *Plauto*, *in Ciſtell.* facete, quae in Veſta deſinebant, confuſo hoc nomine inuocabantur. *Iac. Guther. de iure Manium* L. I. c. 4. p. 27.

507. *Potis es)* Potes, *hinc* (ſcil. e monte, v. v. 530.) *acies* oculorum *puras transmittere*, diſtincte omnia videre. Bieſter.

513. *Auras)* Aures. Bieſter.

„Vnum dico tibi, regum fortiſſime, tantum,
„Atque noua tociens, quociens ego, cede furentem;
„Nunquam tam facile ſpoliandum forte putares.
„Vidi Pannonias acies, cum bella cierent,
„Contra Aquilonares, ſiue Auſtrales regiones;
„Illic Waltharius, propria virtute coruſcans,
„Hoſtibus inuiſus, ſociis mirandus obibat,
„Quisquis ei congreſſus erat, mox tartara vidit.
„O Rex et comites experto credite, quantus
„In clypeum ſurgat, quanta vi torqueat haſtam."
Sed dum Guntarius male ſana mente grauatus
Necquicquam flecti poſſet, caſtris propiabant.
At procul aſpiciens Hiltgunt de vertice montis,
Puluere ſublato venientes ſenſit, et ipſum
Waltharium placido tactu vigilare monebat.
Qui, caput attollens, ſcrutatur, ſi quis adiret.
Eminus, illa refert, quandam volitare phalangem.
Ipſe oculos terſos ſomni glaucomate purgans,
Paulatim rigidos ferro veſtiuerat artus,
Atque grauem rurſus parmam collegit et haſtam,
Et ſaliens vacuas ferro transuerberat auras:
Et celer ad pugnam telis praeluſit amaram.
Cominus ecce coruſcantes mulier videt haſtas,
Ac ſtupefacta nimis: „Hunos hic, inquit, habemus."
In terramque cadens effatur talia triſtis.
„Obſecro, mi ſenior, gladio mea colla ſecede,
„Vt, quae non merui pacto talamo ſociari,
„Nullius vlterius patiar conſortia carnis."

519. *Cede)* Coede.

529. *Caſtris)* Infra v. 888.
Quae — In Caſtrum venit.

529. *Propiabant)* Infra v. 1185.
— Interdum auſcultans vallo propiauit.
Moshem. properabant.

534. *Eminus)* Moshem. *Et nunc.*
Eminus recte ſe habet; nempe cum *phal. volar.* Et huic reſpondet *cominus* v. 540. Bieſter.

543. *Obſecro, mi Senior! gladio mea colla ſecede,*
544. *Vt quae non merui pacto talamo ſociari,*
545. *Nullius vlterius patiar conſortia carnis)*
Sponſae et vxores Germanorum poſt mortem ſponſorum vel maritorum vitam finiuerunt, ne victorum libidini proſtituerentur. *Flor.* L. III. c. 3. *Plutarch.* pag. 421. *Caeſar.* L. I. c. 51. *Tacit. de Mor. Germ.* c. 7. 8. *Oroſ.* L. VI. c. 21. *Flor.* L. IV. cap. 12. § 5. *Xiphilin. in Exc. Dion.* L. LXXII. p. 803.
Cleffel. Sel. Antiquit. Septentr. c. 1. § 8. „His modis „ſi nullam vxorem ſibi conciliare poſſent, abductionem „tentabant; nihil enim honeſtius aut glorioſius habi„tum, quam aut certamine, aut raptu vxorem ſibi iun„gere." *Stiernhöök de iure Sueon. et Goth. vet.* L. II. c. 1.
Thorm. Torf. Hiſt. Noruag. L. VI. c. 3. § 1. p. 298. „Halfdanus — vrbem ingreditur: praeceſſit cum Vlf„kell, adque aedes palatinas Ingigerdis ſe contulit. „Illa, ne victoriam ad ſuam ſuarumque iniuriam verteret, „ſupplex orauit, clementiam quam ſeueritatem erga „ſexum imbecilliorem, praeſertim Virgines — exercere „mallet, ſeque ad matrem ducere dignaretur. Vlfkell „bono eam animo eſſe iuſſit." *Id.* cit. l. P. II. pag. 26. „Captiuae tamen ſeruorum iure cenſitae ſunt, nec liberi „ex iis ſuſcepti legitimi; cauſae autem captiuitatis ratio

Dum iuuenis: „cruor an nocuus me tinxerit?“ inquit
„Aut, quo forte modo gladius potis eſt, inimicos
„Sternere, tam fidae ſi nunc non parcit amicae?
„Abſit quod rogitas, mentis depone pauorem.
„Qui me de variis eduxit ſaepe periclis,
„Hic valet, hic hoſtes, credo, confundere noſtros.“
Haec ait, atque oculos tollens effatur ad ipſam:
„Non aſſunt Auares hic, ſed Franci nebulones
„Cultores regionis — “ (et en, galeam Haganonis
„Aſpicit, et noſcens, iniunxit talia ridens)
„Et meus hic ſocius Hagano collega veternus.“
Hoc heros dicto introitum ſtationis adibat,
Inferius ſtanti ſic praedicens mulieri:
„Hac coram porta verbum modo iacto ſuperbum:
„Hinc nullus rediens vxori dicere Francus
„Praeſumet, ſe impune gazae aliquid (tolluiſſe) *noſtre.*“
Nec dum ſermonem compleuit, humotenus ecce
Corruit, et veniam petiit, quia talia dixit.
Poſtquam ſurrexit contemplans cautius omnes:
„Horum quos video nullum, Haganone remoto,
„Suſpicio; namque ille meos per proelia mores

„nulla habita eſt, vi et iniuria qualecunque ius prae„ſcribente.“

543. *Mi Senior*) Vid. not. ad v. 153.

546. *Dum*) Tum. Apud Latinos ſcriptores literas D. et T. promiſcue plerumque confundi, cum multa teſtantur, tum praeſertim varii pandectarum Flor. loci, in quibus aDquin, apuT. eD. quiT. inquiD. quoD. et alia eiusmodi non pauca legentibus paſſim occurrunt. *Radulph. Forner. rer. quotidian.* L. I. c. 10. p. 12.

546. *Cruor an nocuus —*) *Mosbem.* innocuus. Quod omnino rectum. Bieſter.

Seneca in Medea.

— Nullus innocuum cruor,
Contaminauit.

553. *Franci nebulones*) Partim ob deſideratam in eis fidem pactorum; *Procop.* L. II. de bello Goth. eos dicit: nationem mortalium perfidiſſimam. *Saluian.* L. IV. *de Gubernat. Dei.* „Si peieret Francus, quid noui faceret? qui „periurium ipſum ſermonis genus putant, non criminis.“ *Id.* L. VII. Franci mendaces, ſed hoſpitales. *Flav. Vopiſc. in Proculo, inter ſcript. Hiſt. Aug* p. 762. „Hunc tamen „Probus fugatum vsque ad vltimas terras et cupientem „in Francorum auxilium venire, a quibus originem ſe „trahere ipſe dicebat, ipſis prodentibus Francis, quibus „familiare eſt ridendo fidem frangere, vicit et interemit.“ partim ob vitam delicatiorem tanquam cultores regionis.

554. *Cultores regionis*) *Claudian. de laud. Stilicon.* L. I.

— Rhenumque minacem
Cornibus infractis adeo miteſcere cogis,
Vt Salius iam rura colat, flexosque Sicambri
In falcem curuent gladios, geminasque viator
Adſpiciens ripas, quae ſit romana requirat.

Oroſ. L. VII. c. 28. „Poſt hoc quoque continuo Bar„bari, execrati gladios ſuos, ad aratra conuerſi ſunt, reſi„duosque Romanos vt ſocios et amicos fouent.“

A priſcis Galliae et Germaniae populis agriculturae ſtudium ſemper deſpiciebatur. Vid. *Hiſtoria mea* in lingua Vernacula conſcripta *de Succeſſ. German. hereditaria* Tom. I. c. 4. p. 52. 53. *Dithmar.* in not. *ad Tac. Germ.* p. 91. *Herm. Conring.* de habitus corpor. German. cauſis, p. 86.

561. *Tolluiſſe*) *Mosbem.* tollere.

561. *Noſtre*) In Gloſſa interlin. *tantae.* Fiſcher.

Sed videtur neceſſe, praeteritum ſit; quia *rediens* Francus id dicat. An fortaſſe *tetuliſſe*, aut *tolliſſe?* quod vtrumque veteres dixerunt. Verſus ſic conſtaret:

Praeſumet, ſe impune gazae aliquid tetuliſſe
(ſ. *tolliſſe.*)

omiſſo *τυ noſtre*, quod gloſſema videtur, ſicut illud alterum *tantae.* — Aliter ſic foret legendum:

Praeſ., ſe impune gazae quid tollere noſtrae (ſ. *tantae*).

In noſtro verſu vltima *τυ impune* producitur, contra auctoritatem; hic prima *τυ gazae* corripitur, eodem iure, vel potius eadem iniuria. Bieſter.

565. *Horum, quos video, nullum Haganone* REMOTO
566. SVSPICIO) *Coripp. de laud. Iuſtini* L. III.

Digitized by Google

„Iam didicit, tenet hic etiam ſat callidus artem;
„Quam ſi forte volente Deo intercepero ſolam —“
Tunc ait: „ex pugna tibi, Hiltgund ſponſa, referuor.“
Aſt vbi Waltharium tali ſtatione receptum
Conſpexit Hagano, ſatrapae mox iſta ſuperbo
Suggerit: o ſenior! deſiſte laceſſere bello
„Hunc hominem! pergant primum, qui cuncta requirant,
„Et genus, et patriam, nomenque, locumque relictum.
„Vel, ſi forte petat pacem, ſine ſanguine praebens
„Theſaurum, per reſponſum cognoſcere humonem
„Poſſumus; et, ſi Waltarius remoratur ibidem,
„Eſt ſapiens, forſan noſtro concedet honori.“
Praecipit ire virum cognomine rex Kamelonem,
Inclita Metenſi quem Francia miſerat vrbi
Praefectum, qui dona ferens deuenerat illo
Anteriore die, quam Princeps nouerat iſta.

Ter gazis *ſuſpexit* Anar, ter poplite flexo
Pronus adorauit, terraeque affixus adhaeſit.
Corn. Nep. in Dione. c. 1. „Hunc a Dionyſio miſſum „Carthaginienſes *ſuſpexerunt*, vt neminem vnquam „Graeca lingua loquentem magis ſint admirati.“ *Senecae Hercul. furens* p. 16.

Detraxit ſpolium nobile corpori
— — —
Victorem poſito *ſuſpiciens* genu. Fiſcher.

Num fortaſſe lectio fuit: *excepto*, quod ferri poteſt? primum ſcriptum fuit *recepto*, quod tu poſtea mutaſti in *remoto*. Bieſter.

569. *Tunc, ait, ex pugna tibi, Hiltgunt, ſponſa referuor*) Plerique priſcorum Germanorum matrimonia per duella inierant. *Thorm. Torf.* P. I. c. 7. pag. 201. 202. *Hiſt. Noruag.* Inprimis vero P. II. p. 234. „Erat Ario vxor „nomine Ingibiorg, viri primarii Iſii — filia; quam „Athleta quidam Biornus — a marito ſibi dari poſtu„lauit, recuſantemque, moribus etiam legum authori„tate firmatis, vt fortioribus omnia paterent, ad ſingu„lare certamen in inſula parua Suinadali — poſt tri„duum prouocauit. Arius dedecori tum ſuo, tum vxo„ris contumeliae, certamen — praetulit, honeſtamque „mortem victus oppetiuit. Cum igitur belli tanquam „iuſti iure, Biornus vxorem agrosque eius et poſſeſſiones „ſuas feciſſe videretur, Giſlius Arii frater, cui alias „vltio incumbebat — iniuriam a fratria propulſandam „ratus, congredi cum eo decreuit.“

Cleſſelii Ant. Septentr. Sel. cap. 1. § 7. Altera ratio acquirendi vxores, erat certamine, non minus frequens inter maiores, quod tamen variis modis fiebat. Primum enim monomachia ſaepius vxores ſibi conciliabant, ea lege, vt is qui e duello ſuperſtes ſaluusque aduerſario interempto euaſerat, coniugem aut filiam tanquam victoriae praemium, acciperet. — Interdum cum aemulis certandum erat, puella autem cedebat in victoriae praemium. — Interdum et cum aliis quam aemulis pugnare, aut alia ratione, virtutis atque fortitudinis ſuae aliquod ſingulare documentum edere, tenebantur, quo feliciter confecto amatae ſuae amplexibus fruebantur — Interdum et bellis bene geſtis virtutem monſtrare cogebantur. — — Reliquae difficultates, quae procis ſuperandae erant, innumerae ſunt, plerumque tamen beſtias immanes procis opponebant, ad gynecaeum religatas, quarum ſaeuitia deterriti, ab incepto deſiſterent. — — Canes aut vrſos immanes procis oppoſitos paſſim docent exempla.

V. 576. Quid eſt *humonem*? ſine dubio legendum: *humanum*, aut *homonem*, v. v. 931. barbarice ab *homo*, *homonis*; ſed *humonem* falſum eſt. Bieſter.

578. *Concedet*) Moshem. *concedere*. *Concedet* recte ſe habet. Bieſter.

580. *Inclita Metenſi, quem Francia miſerat vrbi*
581. *Praefectum, qui dona ferens deuenerat illo*
582. *Anteriore die, quam princeps nouerat iſta*)
Agath. Schol. de rebus Iuſt. L. I. „Sunt Franci Italis „accolae et contermini, olim dicti Germani, quod ſatis „quidem conſtat. *Nam circa Rhenum fluuium habitant „et continentem ei adiacentem*; maximamque Galliarum „partem occupant, non quidem iam olim ab ipſis poſ„ſeſſam, ſed poſterius adquiſitam: Maſſiliam quidem vr„bem retinent Ionum Coloniam. Patria enim adminiſtra„tione abiecta imperantium legibus vtuntur. Videtur „vero etiam hodie non admodum priſtina incolarum „dignitate inferior. Sunt enim Franci non campeſtres, „vti fere plerique Barbarorum, *ſed et politia plerumque „vtuntur Romana* et legibus iisdem. Eandem etiam „contractuum et nuptiarum et diuini numinis cultum „tenent. *Habent et magiſtratus in vrbibus* et ſacerdo„tes. Feſta etiam perinde ac nos celebrant, et pro

Qui dans fraena volat, rapidoque ſimillimus Euro
Transcurrit ſpatium campi, iuuenique propinquat,
Ac ſic obſtantem compellat: „Dic, homo, quisnam
„Sis? aut vnde venis, et quonam pergere tendis?“
Heros magnanimus reſpondit, talia dicens:
„Sponte tua venias, an huc te miſerit vllus,
„Scire velim?“ Kamelo tum reddidit ore ſuperbo:
„Noris Guntarium regem tellure potentem
„Me miſiſſe, tuas quaeſitum pergere cauſas.“
His auſcultatis ſuggeſſerat haec adoleſcens:
„Ignoro penitus, quid opus ſit, forte viantis
„Scrutari cauſas; ſed promere non trepidamus.
„Waltharius vocor, ex Aquitanis ſum generatus.
„A genitore meo modicus puer, obſidis ergo,
„Sum datus ad Hunos; ibi vixi; nuncque receſſi,
„Concupiens patriam dulcemque reuiſere gentem.“
Miſſus ad haec: „tibi iam dictus per me iubet heros,
„Vt cum ſcriniolis equitem des atque puellam;
„Quodſi promtus agis, vitam concedet et arcem.“

„barbara natione valde mihi videntur ciuiles et vrbani „nihiloque a nobis differre, quam ſolum modo Barbarico veſtitu et linguae proprietate.“

Ex ſuperioribus verſibus ſimul perſpicitur, Saeculo V. ineunte fines Francorum regni vltra Rheni ripas ſeſe extendiſſe, quam Galliarum partem poſtea *Aetius* ipſis ademit.

Caſſiodor. in Chron. „Felix et Taurus. His Coſſ. „Aetius multis Francis caeſis, quam occupauerant, propinquam Rheno partem recipit Galliarum.“

581. *Qui dona ferens deuenerat illo*) Vid. nota ad v. 24.

586 *Et quonam*) In Mſto *vel quonam.* Fiſcher.

Vel melius ſe habet quam *et*, ob metrum. Bieſter.

599. *Miſſus*) Fuit de genere eorum, qui nominabantur *Miſſi diſcurrentes*, quorum munus erat, mandata principis per prouincias deferre. Alii miſſi autem, qui *Dominici et Regii* dicebantur, in Epiſcoporum, Abbatum, Comitum adminiſtrationem inquirebant, geſtorum, omiſſorumque rationes exigebant, conuentus iuridicos per prouincias agebant, deſideriis et queſtibus prouincialium, praeſertim viduarum, pupillorumue ſatisfaciebant, etc. *Hert. in Notit. Vet. Francor. regni*, c. 5. § 25.

600. *Vt cum Scriniolis equitem des atque puellam*) Duella priſci ad captandas opes et pro poſſeſſione feminarum ſaepius inibant. *Homer.* Il. γ. v 69.

Αυταρ εμ' εν μεσσῳ και αρηΐφιλον Μενελαον
Συμβαλετ' αμφ' Ἑλενῃ και κτημασι πασι μαχεσθαι.
Ὁπποτερος δε κε νικησῃ, κρεισσων τε γενηται,
Κτημαθ' ἑλων ευ παντα, γυναικα τε, οικαδ' αγεσθω.

Qui idem verſus occurrunt infra, v. 90 ſeqq.

I. v. 328.

Δωδεκα δη συν νηυσι πολεις αλαπαξ' ανθρωπων,
Πεζος δ' ἑνδεκα φημι, κατα Τροιην εριβωλον·
Ταων εκ πασεων κειμηλια πολλα και εσθλα
Εξελομην. —

Thorm. Torfaei Hiſt. Norveg. L. VI. c. 3. § 1. p. 298. „Illa, ne victoriam ad ſuam iniuriam verteret ſupplex orauit, clementiam quam ſeueritatem erga ſexum imbecilliorem praeſertim virgines tutela omni — deſtitutas, exercere malit; ſeque ad matrem ducere dignaretur. Vlt kell „bono eam animo eſſe iuſſit, aperiret modo theſauros „fideque et beneuolentia ſibi ſe obſtringeret, cuius „fructum vberrimum cum mater tum ipſa eſſent reportaturae. Illa — apertis ſcriniis, quicquid in theſauris „erat, depromſit.“

Id. cit. l. P. I. p. 219. „Bellum eum confligere aut „bonis cedere iubet.“

600. *Equitem*) Non poteſt intelligi, niſi de *equo* ipſo. Sic iam ſupra v. 214. vbi equidem legerim *equitemque*, non *equiteque*, et interpretarer de equo Walrarii, ſicut et h. l. Nempe poeta noſter ſtudioſe imitatur Virgilium, de quo et totos verſus mutuos ſumſit; imo interdum aliquanto putidius. Atqui Virgilio *equitem*, dici pro *equo*, certe contenderunt veteres Grammatici, *Gell* XVIII. 5. *Macrob.* Sat. VII. 9 licet recentiſſimus idemque doctiſſimus Virgilii interpres, *Heynius*, id neget; quem conſ. ad *Georg.* III. 116. Bieſter.

Waltharius contra fidenter protulit iſta:
„Stultius effatum me non audiſſe Sophiſtam
„Arbitror. En memoras, quid princeps, neſcio vel quis,
„Promittat, quod non retinet, nec fors retinebit.
„An Deus eſt, vt iure mihi concedere vitam
„Poſſit? num manibus tetigit, num carcere truſit,
„Vel poſt terga meas torſit per vincula palmas?
„Attamen auſculta: ſi me certamine laxat,
„(Aſpicio, ferratus adeſt, ad praelia venit,)
„Armillas centum, de rubro quippe metallo
„Factas, transmittam, quo nomen regis honorem.“.
Tali reſponſo diſceſſerat ille recepto.
Principibus narrat, quid protulit atque reſumſit.
Tunc Hagano ad regem: „Porrectam ſuſcipe gazam,
„Hac potis es decorare, pater, te concomitantes;
„Et modo de pugna palmam reuocare memento.
„Ignotus tibi Waltharius, et maxima virtus.
„Vt mihi praeterita portendit viſio nocte,
„Non, ſi conſerimus, nos proſpera cuncta ſequentur,
„Viſum quippe mihi, te colluctarier vrſo,
„Qui poſt conflictus longos, tibi mordicus vnum
„Crus cum poplite ad vſque femur decerpſerat omne,
„Et mox auxilio ſubeuntem et tela ferentem
„Me petit, atque oculum cum dentibus eruit vnum.“
His autem aduerſis clamat rex ille ſuperbus:
„Vt video, genitorem imitaris Agacien ipſe.
„Hic quoque perpauidam gelido ſub pectore mentem
„Geſſerat, et multis faſtidiit praelia verbis.“
Tunc heros magnam iuſte conceperat iram.
Si tamen in Dominum licitum eſt iraſcier vllum.
„Hic, (ait) in veſtris conſiſtant omnia telis.
„Eſt in conſpectu quem vultis. Dimicet omnis.
„Cominus aſtatis, nec iam timor impedit vllum.
„Euentum videam, nec conſors ſim ſpoliorum.“
Dixerat; et collem petiit mox ipſe propinquum,
Deſcendensque ab equo conſedit, et aſpicit illos.
Poſt haec Guntarius Kameloni praecipit aiens:
„Perge et theſaurum reddi mihi praecipe totum.

605. *Promittat*) Permittat. Bieſter.

626. *His autem aduerſis*) Forr. *tamen aduerſus*. Bieſter.

„Quodſi cunctetur, ſcio tu vir fortis et audax,
„Congredere, et bello deuictum mox ſpoliato."
Ibat Metenſis Kamelo Metropolitanus,
Vertice fulua micat caſſis, de pectore torax,
Et procul acclamans: „heus audi (dixit) amice!
„Regi Francorum totum transmitte metallum,
„Si vis vlterius vitam vel habere ſalutem."
Conticuit paulum verbo fortiſſimus heros,
Opperiens propius hoſtem aduentare ferocem.
Aduolitans miſſus vocem repetiuerat iſtam:
„Regi Francorum totum transmitte metallum!"
Tum iuuenis conſtans reſponſum protulit iſtud:
„Quid quaeris? vel quid reddi, importune, coartas?
„Nunquid Cuntario furabar talia Regi?
„Aut mihi pro lucro quicquam donauerat ille?
„Vt merito vſuram me cogat ſoluere tantam.
„Num pergens ego damna tuli veſtrae regioni,
„Vt vel hinc iuſte videas ſpoliarier a te?
„Si tantam inuidiam cunctis gens exhibet iſta,
„Ecce, viam mercor, Regi transmitto ducentas
„Armillas; pacem donet, modo bella remittens."
Haec poſtquam Kamelo percepit, corde ferino:
„Amplificabis, (ait,) donum, dum ſcrinia pandis,
„Conſummare etenim ſermones nunc volo cunctos;
„Aut quaeſita dabis, aut vitam ſanguine fundes."
Sic ait; et triplicem clypeum collegit in vlnam,
Et, criſpans haſtile micans, vi nititur omni,
Ac iacit. At iuuenis deuitat cautior ictum.
Haſta volans caſſo tellurem vulnere mordet.
Waltharius tandem: „ſi ſic placet (inquit) agamus."
Et ſimul in dictis haſtam transmiſit. At illa
Per laeuum latus vmbonis tranſiuit, et ecce
Palmam, qua Kamelo mucronem educere coepit,
Confixit, femori, transpungens terga caualli.
Nec mora; dum vulnus ſenſit ſonipes, furit, atque
Excutiens dorſum ſeſſorem ſternere tentat,
Et forſan faceret, ni lancea fixa teneret.

640. *Quodſi cunctetur ſcio tu vir fortis et audax)* *Scio* ſenſu carere videtur. Leg. *ſcis*. Bieſter.

642. *Metenſis — Metropolitanus)* Id. v. 580. *Metenſi vrbi praefectus* vocatur.

654. *Ille)* *Iſte*. Bieſter.

Digitized by Google

Interea parmam Kamelo dimiſit, et haſtam
Complexus laeua, ſatagit diuellere dextra.
Quod dum perſpiciens currit celeberrimus heros,
Et pede compreſſo capulotenus ingerit enſem,
Quem ſimul educens haſtam de vulnere traxit.
Tunc equus et Dominus hora cecidere ſub vna.
At dum forte nepos conſpexerat hoc Kamelonis,
Filius ipſius, Kimo cognomine, fratris,
Quem referunt quidam Scaramundum nomine dictum;
Ingemit, et lacrimis compellat triſtior omnes:
„Hic me prae cunctis heu reſpicit actio rerum.

679. *Quod dum*) Lect. *Mosbem.* Rectius: *At tum*, ſ. *Ac tum.* Bieſter.

685. *Quem referunt quidam*) Hic apparet poetam vel ex traditione, vel ex actis antiquioribus, hiſteriam concinnaſſe. Vid. infra not. ad v. 1039. Saeculo adhuc XIV. carmina popularia de rebus geſtis magni iſtius Theodorici, Gothorum regis, in Germania extabant.

Chron. Vniuerſal. Argentor. Mſta. „Doch ſeid Dietherich von Bern, *von dem die Pauren viel ſingent vnd „ſagent*, der iſt ein Künig geweſen über ein teil des „vorgenanten Volcks, darum wil ich etwas von im ſagen, das in der Geſchriſſt bewert iſt. — — diſe vorgeſchriebene red ſchreibt Euſebius von Zeſarea in ſeiner Coronica. Aber wie Dietherich von Bern vnd „ſein Meiſter Hiltebrant vil Würm vnd Tracken erſchlugen vnd wie er mit Ecken dem riſen ſtreit, da „ſchreibet kein meiſter von, darum iſt es abetteur — „Etlich lobent den Dietherich gar vaſt.“

687. *Hic me prae cunctis, heu! reſpicit actio rerum*) *Tacit. de mor. Germ.* c. 21. „Suſcipere tam inimicitias „ſeu patris, ſeu propinqui, quam amicitias neceſſe eſt.“ In cauſa homicidii omnes agnati ad vindictam obligati erant. *Io. Gottl. Heinecc. in Elem. Iur. Germ.* Lib. II. Tit. XXVI. § 248. *Chriſt. Vlr. Grupen de Vxore Theotiſca* c. 5. § 11. p. 245 ſeqq. *Io. Leonh. Hauſchild de re German. iudiciaria*, § 31. p. 97 et 102. *Dithmar. ad Tacit.* p. 130. 131. Inprimis vero *Maier* Anteceſſor Tubingenſis pererudit. *in Hiſt. homicidii apud German.* § 3. p. 6. Hos vero ipſos in mutuos ſocietatis amplexus, commune, quo parentibus adſtricti fuerunt, vinculum, commune, quo venerabantur, imperium, communis, quem ex eodem repetebant fonte, ſanguis; et quum praecipue in primaeua vitae ſimplicitate ex ipſorum numero et ſalute familia ſuum acciperet robur, ſingulorum quoque interfuit, vt omnibus ex familia bene ſit. Vno igitur laeſo non mirum et alterum perpeſſum fuiſſe iniuriam. Ita parentes et liberi, ita vniverſum familiae corpus, tot tam arctisque quisque ſuis continebatur vinculis ac compagibus, vt inter omnes non minus, quam ſingulos, extiterit arctiſſima vitae communio, vt quocunque bono vni alteriue ſubnato et reliqui habuerint, de quo ſibi congratulentur, vt ex quacunque iniuria vni illata, ictu quaſi in ſingulos repercuſſo, ad vniuerſos penetrauerit dolor et damnum. Vltra vero commune damnum et alia ſingulis propria ſuperfuere naturae incitamenta, quibus alii ex amore, ex pietate alii, alii tandem ex vnitate ſanguinis, ad communis iniuriae vindictam prouocabantur. Quanta mala iſtae a tota gente ſuſceptae vltiones intulerint ex hoc vnico exemplo ſatis cognoſcere licet. *Vita S. Swiberti ap. Leibnit. inter ſcript. rer. Brunſwic.* Tom. II. p. 236. „Nam poſt biennium veniens illuſtris Bruno, magnus „Satrapa Saxonum, cum nobili comitatu in prouinciam „Boructuariorum, pernoctansque in vico Ratingen, ex „nimia ebrietate orta diſſenſione magna inter ipſum et „primicerium eiusdem vici de Ratingen — — ipſum „occidit cum duobus famulis: quibus per vicum dolenter patefactis, amici et affines occiſorum ad arma „conuolantes eundem nobilem Satrapam fere cum „omnibus ſuis in vindictam trucidauerunt. Fama vero „per Saxoniam increbeſcente veridica, Saxones irati „nimis, intrantes potenter Boructuariorum fines, multos in ore gladii occidentes, maxima damna ipſis intulerunt, vicumque Ratingen funditus liuore pertinaci deſtruxerunt. E contra Boructuarii, et praecipue „amici occiſorum, aggregata magna potentia armigerotum, multas villas et *munitiones* Saxonum igni et „ferro demoliti ſunt. Sicque viciſſim cum diu committerent, magnae depopulationis excidium, Boructuarii — — perpendentes, et quod Saxonum potentiae et inſolentiae reſiſtere non poſſent, coacti migrarunt in exteras prouincias. Interea attendens S. „Swibertus, glorioſus Pontifex, gregem ſuum hac illacque diſperſum et quod nullum fructum, nullasque inducias inter vtrasque partes cum ſuis *propter ſaxea „Saxonum corda facere poſſet* — —“

Sub Dagoberto Sadregiſili Ducis Aquitanorum filii, Francorum iudicio, hereditate paterna indigni pronunciati ob inultam necem parentis

Aimoin. L. IV. cap. 28. „A. XXIII. regnante Dagoberto, Sadregiſilus Dux Aquitanorum, a quibusdam hominibus, gladiatorio aduerſus eum animo inſurgentibus, trucidatur, cuius filii cum vltores potuiſſent fieri „effuſi ſanguinis paterni, maluerunt viuere deſides ac „otioſi, quam perurgendo armis homicidas cruorem „exigere interfecti: idcirco in publico Francorum con-

Digitized by Google

„Nunc aut commoriar, vel carum vlciſcar amicum."
Namque anguſta loci ſolum concurrere ſoli
Cogebant, nec quisquam olli ſuccurrere quiuit.
Aduolat infelix Scaramundus iam moriturus,
Bina manu lato criſpans haſtilia ferro.
Qui dum Waltharium nullo terrore videret
Permotum, fixumque loco conſiſtere in ipſo,
Sic ait infrendens, et equinam vertice caudam
Concutiens: „In quo fidis? vel quid tua ſpes eſt?
„Non ego iam gazam, vel rerum quidque tuarum
„Appeto, ſed vitam cognati quaero peremti."
Ille dehinc: „ſi conuincar, quod praelia primus
„Temptarim, ſeu quod merui, quod talia poſſim
„Iure pati; absque mora tua me transuerberet haſta."
Necdum ſermonem concluſerat hunc Scaramundus

„ventu a quibusdam proceribus ſecundum leges Ro„nas, quae ſanciunt a paterno eos decidere hereditate „debere, qui noluerunt interfecti necem vindicare, „omnibus paternis exſpoliati ſunt bonis atque inanes „relicti "

688. *Amicum*) Hic amicus ponitur pro agnato, et germaniſmus, vti paſſim in carmine plures occurrunt, eſſe videtur, nam *Freund*, amicus, in lingua vernacula saepius ſignificat *Vetter*, agnatum. *Vita S. Swiberti in* Tom. II. *Leibnitii ſcript. rer. Brunſwic.* pag. 236. „E „contra Boructuarii, et praecipue *amici* (agnati) occi„ſorum, aggregata magna potentia armigerorum, mul„tas villas et munitiones Saxonum igni et ferro demo„liti ſunt." Conf. *Du Freſne* Tom. I. *Gloſſar.* col. 386. *Amici propinquiores.*

695. *Equinam vertice caudam Concutiens*) Priſci saepiſſime iubas ac ſetas equinas galeis impoſuerunt. *Virgil. Aeneid.* X. 869.

Aere caput fulgens, criſtaque hirſutus equina.

Vid. *Io. Iac. Witter. ſpecimen philolog. de Galeis Veterum*, c. 3. p. 19.

697. *Non ego iam gazam vel rerum quidque tuarum*

698. *Appeto, ſed vitam cognati quaero peremti*) En hic ſanguinis vindictam ab vltione damni longe diverſam! quam ab illa optime diſtinxit *Ioann. Chriſt. Maier in Hiſt. Iur. Germ. antiquiſſ. circa homicidium*, § 11. p. 22. „Verum enim vero hanc ipſam ſanguinis „vindictam — quo propius gens a ſimplicitate naturae „adfuerit, eo ſeuerius in ea ab occiſi familia fuiſſe ex„ercitam, antiquiſſimorum temporum annales ſatis per„ſpicue docent. Damni ex caede propinqui, familiae „oborti, vindictam eam non fuiſſe, et nomen, et vltio„nis finis abunde commonſtrant. Ex nece enim, quae „petitur, quid lucri facturus vindex illatum damnum „compenſantis? vel an vnquam damni huius reparandi „vindici in vindicando ſanguine mens fuit? Sancto „potius ſibi ducebant hanc vindictam honori, eiusque „iure, quaſi natura competente, accepto lytro ſe abdi„care pro ſummo multae gentes habebant dedecore. „*Michaelis Diſſ. de poena homicidii*, § 24. Hinc credo „et Germanos morum ſimplicitate quam maxime con„ſpicuos, et vti deinceps videbimus, ad introducen„dam compoſitionem ipſam quoque ſanguinis vindictam „abſorbentem neceſſitate magis quam lucri inde faci„endi cupiditate adactos, antiquiſſimis temporibus hanc „vindictam pecunia redimi vix paſſos fuiſſe, praeſertim „cum vltra turpitudinis notam ipſa gentis indoles bel„licoſa quam maxime ſit lytro aduerſa."

Gregor. Turon. Hiſt. L. IX. c. 19. „Sicharius cum poſt „interfectionem parentum Chramiſindi, magnam cum „eo amicitiam patrauiſſet, et in tantum ſe charitate „mutua diligerent, vt plerumque ſimul cibum cape„rent, ac in vno pariter ſtrato recumberent: quadam „die coenam ſub nocturno tempore praeparat Chrami„ſindus, inuitans Sicharium ad epulum ſuum. Quo ve„niente, reſident pariter ad conuiuium. Cumque Si„charius crapulatus a vino, multa iactaret in Chrami„ſindum, ad extremum dixiſſe fertur: magnas mihi „debes referre grates, o dulciſſime frater, eo quod in„terfecerim parentes tuos, de quibus accepta compo„ſitione, aurum argentumque ſuperabundant in domo „tua: et nudus nunc eſſes et egens, niſi haec te cauſſa „paululum roboraſſet: haec ille audiens, amaro ſuſcepit „animo dicta Sicharii, dixitque in corde ſuo: niſi vl„ciſcar interitum parentum meorum, amittere nomen „viri debeo, et mulier infirma vocari: et ſtatim exſtin„ctis luminaribus caput Sicharii ſica diuidit."

699. *Si conuincar, quod proelia primus*

700. *Temptarim*) Occiſor violenti aggreſſoris non ſolum *a compoſitione* immunis, ſed et, vt ex hoc loco patet, ſanguinis vindictae obnoxius non erat. *Maier in hiſt. homicid.* § 19. p. 42. et § 27. p. 63.

Digitized by Google

Vnum de binis haſtile retorſit in illum;
Confeſtimque aliud; quorum celeberrimus heros
Vnum deuitat, quatit ex vmbone ſecundum.
Tunc aciem gladii promens Scaramundus acuti,
Proruit in iuuenem, cupiens praeſcindere frontem;
Effrenique in equo propius deuectus ad illum,
Non valuit capiti libitum infindere vulnus.
Sed capulum galeae impegit, dedit illa reſultans
Tinnitus, ignemque ſimul transfudit ad auras.
Sed non cornipedem potuit girare ſuperbum;
Donec Waltharius ſub mentum cuſpidis ictum
Fixerat, et ſella moribundum ſuſtulit alta.
Qui caput orantis proprio mucrone recidens,
Fecit cognatum pariter fluitare cruorem.
Hunc vbi Cuntarius conſpexit obire ſuperbus,
Hortatur ſocios pugnam renouare furentes.
„Aggrediamur eum, nec reſpirare ſinamus,
„Donec deficiens labeſcat, et inde reuinctus
„Theſauros reddet, luet et pro ſanguine poenas.“

715. *Orantis*) Fort. *Ouantis*, i. e. gloriantis, ſuperbi. Bieſter.

721. *Luet et pro ſanguine poenas*) Quamuis autem in *legibus antiquiſſimis*, quas quidem reformauit, interpolauit et confirmauit regum Francorum auctoritas, rariſſima poenae capitalis homicidis irrogandae ſuperſint veſtigia: eorundem regum *Capitularia*, quae vim legis ſuſtinuere, tam clare ac perſpicue docent contrariam ſententiam, vt inſignem inde ſactam iuris circa homicidia cataſtrophen quaſi palpare liceat. *Maier Hiſtor. Iur. Germ. circa homicid.* § 26. p. 60. *Decret. Childeberti R.* § 6. „de homicidiis vero ita iuſſimus obſeruari, „vt quicunque caſu temerario alium ſine cauſſa occide„rit, vitae periculo ſeriatur et nullo precio ſe redimere „vnquam valeat. Et ſi conuenerit, vt ad compoſitio„nem quis deſcendat, nullus de parentibus, aut de „amicis ei quicquam adiuuet. Quisquis fecerit, ſuum „Weregildum omnino componat, quia debitum eſt, vt „qui iniuſte nouit occidere diſcat iuſte mori.“ Ita legitur in antiquo libro formae 16, qui absque die et conſule, inſcribitur: „Libelli ſeu decreta a Clodouaeo „et Childeberto, et Clothario prius aedita ac poſtre„mum a Carolo lucide emendata auctaque plurimum, „in quibus haec habentur:“

„Capitula ex Iſidori iunioris Hiſpalenſis epiſcopi Ety„mologiarum, L. V.“

„Pactum pro tenore pacis D. D. Childeberti et Clo„tharii regum.“

„Decretio Clotharii regis.“

„Sententiae de ſeptem ſeptenis.“

„Lex Salica.“

„Decretum Childeberti regis.“

„Recapitulatio legis Salicae.“

Volumini, cuius poſſeſſor eſt Dominus *L. B. de Mosheim*, annexa ſunt:

„Vetus lex Saxonum.“

(Lex Angl. et Werin. vacat)

„Lex Alamannorum.“

„Antiquae Burgundionum leges.“

„Ripuariorum leges a Theodorico Rege Francorum „latae.“

„Antiqua Baiuuariorum lex.“

Editio praeſertim quoad legem Salicam ab omnibus adhuc cognitis diuerſa et inſignis. Conf. *Senckenberg in Viſion. de Collect. Legum German.* c. 1. § 5. p. 11.

Sed iam in viam redimus. *Lex Burgund.* Tit. II. n. 1. „Si quis hominem ingenuum ex populo noſtro cuius„libet nationis aut ſeruum Regis natione duntaxat bar„barum occidere damnabili auſu aut temeritate prae„ſumſerit, non aliter admiſſum crimen, quam ſanguinis „ſui effuſione componat.“ n. 7. „hoc ſpecialiter in „huiusmodi cauſſa vniuerſitas nouerit obſeruandum, vt „interfecti parentes nullum niſi homicidam perſequen„dum eſſe cognoſcant: quia ſicut criminoſum iubemus „extingui, ita nihil moleſtiae ſuſtinere patimur inno„centem.“ Praecipuus locus de iure regio circa homicidium petitur ex ſupra citato exemplo Chramiſindi ap. *Greg. Tur.* L. IX. c. 19. qui trucidato Sichario, glorioſo obtrectatore, ſtatim ad regem adſcenſo ipſius occiſi equo perrexiſſe, legitur, ingreſſusque Eccleſiam ad pedes proſtratus fuiſſe regis, dicens: *vitam peto, o glorioſe Rex, eo quod occiderim homines.*

Tertius en Werhardus abit, bellumque laceſſit.
Quamlibet ex longa generatus ſtirpe nepotum,
O vir clare! tuus cognatus, et arcis amator,
Pandare, qui quondam, iuſſus confundere foedus,
In medios telum torſiſti primus Achiuos!
Hic, ſpernens haſtam, pharetram geſtauit et arcum.
Eminus emiſſis haud aequo Marte ſagittis
Waltharium turbans. Contra tamen ille virilis
Conſtitit, opponens clypei ſeptemplicis orbem,
Saepius eludens venientes prouidus ictus.
Nam modo diſſiluit, parmam modo vergit in auſtrum,
Telaque diſcuſſit, nullum tamen attigit illum.
Poſtquam Pandarides ſe conſumſiſſe ſagittas
Incaſſum videt, iratus mox exerit enſem,
Et demum aduolitans, has iactitat ore loquelas:
„O ſi ventoſos luſiſti callide iactus,
„Forſan vibrantis dextrae iam percipis ictum.“
Illi Waltharius ridenti pectore adorſus:
„Iamque diu ſatis expecto, certamina iuſto
„Pondere agi. Feſtina! In me mora non erit vlla.“
Dixerat; et toto connixus pectore ferrum
Coniicit. Haſta volans pectus reſerauit equinum;
Tollit ſe arrectum quadrupes, et calcibus auras
Verberat, effundensque equitem, cecidit ſuper illum.
Accurrit iuuenis, et ei vi diripit enſem.
Caſſide diſcuſſa, crines complectitur albos;
Multiplicesque preces nectenti dixerat heros:
„Talia non ludum iactabas dicta per auras.“
Haec ait, et truncum ſecta ceruice reliquit.
Sed non dementem tria viſa cadauera terrent
Cuntarium, iubet ad mortem properare viciſſim.
En a Saxonicis horis Ekewrid generatus,

724. *O vir clare, tuus cognatus et arcis amator*
725. *Pandare, qui quondam iuſſus confundere foedus*
726. *In medios telum torſiſti primus Achiuos)*
Primi rerum Francicarum ſcriptores originem gentis a Troianis deducere conſueti Virgilium tanquam primum Hiſtoricum adducunt. *Fredegar.* c. 2. vid. ſupra not. ad v. 28. Ideoque etiam Poeta noſter ſaepius integros Virgilianos verſus in ſuum poema tranſcripſit, vti nunc *Aeneid.* V. 496.

— tuus, o clariſſime, frater
Pandare, qui quondam iuſſus confundere foedus
In medios telum torſiſti primus Achiuos.

Conf. Abb. *Dubos in Hiſtor. Crit. conditae Monarch. Franc.* Tom. I. p. 417. 418.

724. *Arcis*) *Artis.* Bieſter.

745. *Verberat, effundensque equitem cecidit ſuper illum*) Leg. *Verberat, effundens equitemque, cadit ſuper ipſum.* Bieſter.

749. *Talia non* LVDVM) *Dudum.* Bieſter.

753. *A Saxonicis horis*) Saxones antiquiſſimis tem-

Digitized by Google

Qua reus temptauit bellum, qui pro nece facta
Cuiusdam Primatis eo diffugerat exul,
Quem ſpadix geſtabat equus, maculis variatus.
Hunc vt Waltharius promtum videt eſſe duello;
„Dic (ait,) an corpus vegetet tractabile temet,
„Siue per aërias fallas, maledicte, figuras?
„Saltibus aſſuetus Faunus mihi quippe videris.“
Illeque ſublato dedit haec reſponſa cachinno:
„Celtica lingua probat, te ex illa gente creatum,
„Cui natura dedit, reliquos ludendo praeire.

poribus litora Oceani Germanici inhabitaſſe ex omnibus monumentis patet. *Io. Nicol. Hert. in Notit. Vet. Germaniae populorum,* P. III. c. 3. § 5. Tom. II. opp. p. 74. 75.

Caeterum conſtat, veteres Germanorum reges in ſuo ſeruitio vaſallos ex omni gente habuiſſe, nec ſemper propriis ciuibus in expeditionibus vſos fuiſſe. *P. Diacon. de geſt. Langob.* L. II. c. 26. „Certum eſt tunc Alboin „multos ſecum ex diuerſis, quas vel alii Reges vel ipſe „ceperat gentibus, ad Italiam adduxiſſe; vnde vsque „hodie eorum, in quibus habitant, vicos, Gepidos, „Bulgares, Sarmatas, Panonios, Sueuos, Noricos ſiue „aliis huiuscemodi nominibus appellamus.“ *Muratori Antiquit. Ital. medii aeui,* Tom. I. Diſſ. I. col. 13. 14.

754. *Qua reus temptauit bellum, qui pro nece facta*
755. *Cuiusdam primatis eo diffugerat exul)*
Ergo inter cauſſas detrectandi duelli etiam fuit reatus delicti in prouocatore, quem Doctores hucusque ignorarunt. Vid. *Heineccii Elem. Iur. Germ.* L. III. Tit. VI. § 245. *Ephr. Gebhardi de iudicio duell.* cap. 3. § 11. *Hanſchild de re Germ. iudiciaria,* p. 71. 73. Fiſcher.

Sed ſine dubio lectio falſa. *Qua reus* repugnat ſenſui et metro. *Temptare, tentare,* non eſt detrectare; neque detrectat duellum hic Saxo. Proximum fuerit emendare in: *Quaereus,* aliquo pleonaſmo: *quaerens bellum, tentauit bellum.* Bieſter.

754. *Bellum)* Mox v. 758. duellum.

Hadr. Turneb. Aduerſ. L. XV. c. 5. col. 492. Vt ex duello bellum factum eſt, e duelliis bellii: ita quoque bellus duellus ab antiquis dicebatur: *Titinius* ap. *Non. Lenti calido, duella rapula, rumice.* Nam duella rapula quid aliud eſt, quam rapula bella? Conf. *Wachter in Gloſſar. Germ.* col. 316. *Duell.*

760. *Saltibus aſſuetus Faunus mihi quippe videris)*
Antiqui Saxones propter morum feritatem et aſperum vitae cultum omnibus horribiles erant.

Saluian. Maſſil. de Gubern. Dei, L. VII. *Saxones crudelitate efferi. Id.* L. IV. *Saxonum gens fera eſt.* Eandem gentem, qualis olim fuit, *Sidon. Apoll.* L. VIII. Ep. VI. vocat, hoſtem omni hoſte truculentiorem: quia piraticam exercere et decimum quemque captiuorum Neptuno ex voto ſacrificare ſoliti fuerint. Sic *Ennod. in vita S. Anton. Lerin.* „Iam Franci, Heruli, „Saxones, multiplices crudelitatum ſpecies belluarum „more peragebant. Quae nationum diuerſitas ſuperſti„tionis mancipata culturis Deos ſuos humana credebant „caede mulceri.“ *Gildas:* „Ferociſſimos et infandi „nominis, Diis hominibusque inuiſos, vocat.“ *Zoſim.* L. III. *hiſt.* „Profecto Saxones omnes eas regiones in„colentium Barbarorum, et animi et corporum viribus, „et laborum in praeliis tolerantia ſunt fortiſſimi.“ *Paul. Oroſ.* L. VII. c. 32. „Gentem Saxonum virtute et agi„bilitate terribilem“ dixit. *Ammian. Marcellin.* Lib. XXVIII. c. 2. „Prae caeteris hoſtibus Saxones timen„tur, vt repentini.“ *Ad. Bremenſ. in Hiſt. Eccleſ.* L. I. „Erant enim (Saxones) inquieti nimis et finitimorum „ſedibus infeſti, domi vero pacati et ciuium vtilitatibus „placida benignitate conſulentes. Generis quoque ac „nobilitatis ſuae prouidiſſimam curam habentes, nec „facile vllis aliarum gentium, vel ſibi inferiorum con„nubiis infecti propriam et ſinceram, tantumque ſibi „ſimilem gentem facere conati ſunt. Vnde habitus „quoque ac magnitudo corporum comarumque color, „ſicut in tanto numero hominum idem paene omnibus.“ *Iuret. in Miſcell. ad Symmach. Hert. in Notit. Vet. Germ. popul.* P. III. c. 4. § 8. p. 77. *Dubos Hiſtoire de l'Etabliſſement de la Monarchie Françoiſe,* Tom. I. p. 196.

762. *Celtica lingua probat)* Hinc apparet, Aquitanos adhuc Saeculo V. celtice loquutos, nec linguam Ruſticam vbique receptam fuiſſe.

Sidonius Apoll. L. III. Ep. III. „Tuaeque perſonae „quondam debitum, quod ſermonis Celtici ſquammam „depoſitura nobilitas, nunc oratorio ſtylo, nunc etiam „camoenalibus modis imbuebatur.“

Sulpicius Seuer. Dial. I. § 20. p. 527. „Sed dum cogi„to, me hominem Gallum inter Aquitanos verba factu„rum, vereor ne offendat veſtras nimium vrbanas aures „ſermo ruſticior. — — Tu vero, inquit Poſthumia„nus, *vel Celtice,* aut ſi mauis, *Gallice* loquere, dum„modo iam Martinum loquaris.“

Ant. Dadin. Alteſerra rer. Aquitan. Lib. II. cap. 6. pag. 130. 131.

763. *Cui natura dedit reliquos ludendo praeire)* Multi Gallis leuitatem et mobilitatem animi exprobrauerunt. *Sil. Ital. de bello Pun.* L. VII.

Vaniloquum Celtae genus ac mutabile mentis
Reſpectare domos.

Caeſar de bello Gall. L. III. cap. 8. „Sunt Gallorum

Digitized by Google

„At, ſi te propius venientem dextera noſtra
„Attingat, poſt Saxonibus memorare valebis,
„Te nunc in Voſago Fauni fantaſma videre.
„Attentabo quidem, quid ſis?“ Ekeurid ait; et mox
Ferratam cornum grauiter iacit. Illa retorto
Emicat amento, quam durus fregerat vmbo.
Waltharius contra reſpondit cuſpide miſſa:
„Haec tibi Siluanus tranſpondit munera Faunus.
„Aſpice, num mage ſit telum penetrabile noſtrum.“
Lancea taurino contextum tergore lignum
Diffidit, ac tunicam ſcindens pulmone reſedit.
Voluitur infelix Ekeurid, riuumque cruoris
Euomit, en mortem fugiens incurrit eandem;
Cuius equum iuuenis poſt tergum in gramen abegit.
Tunc a Gunthario clipeum ſibi poſtulat ipſum
Quintus ab inflato Hadawartus pectore luſus.
Qui, pergens, haſtam ſociis dimiſit habendam,
Audax in ſolum confiſus inaniter enſem.
Qui dum conſpiceret, deiecta cadauera totam
Concluſiſſe viam, nec equum tranſire valere,
Diſſiliens parat ire pedes. Petit acer in armis
Waltharius, laudatque virum, qui praebuit aequum

„ſubita et repentina conſilia. c. 19. Nam vt ad bella „ſuſcipienda Gallorum alacer ac promtus eſt animus, „ſic mollis ac minime reſiſtens ad calamitates perferendas mens eorum eſt.“ L. IV. cap. 5. „His de rebus „Caeſar certior factus et infirmitatem Gallorum veritus, „quod ſunt in conſiliis capiendis mobiles et nouis plerumque rebus ſtudent, nihil his committendum exiſtimauit.“

Trebell. Pollio in Poſthum. „Galli nouarum rerum „ſemper cupidi:“

Alex. ab Alexandro Gen. dier. L. IV. c. 13. fol. 214.

Iſ. Caſaubon. ad Lamprid. Alex. Seuer. T. I. *Hiſtor. Aug.* p. 1026.

De Aquitanis in ſpecie *Ammian. Marcellin.* L. XV. „Horum omnium apud veteres Belgae dicebantur eſſe „fortiſſimi, ea propter quod ab humaniore cultu longe „diſcreti; nec aduenticiis effeminati deliciis, diu cum „Transrhenanis certauere Germanis. Aquitani enim „ad quorum littora, vt proxima placidaque merces adventitiae conuehuntur, moribus ad mollitiem lapſis „facile in ditionem venere Romanam.“

Saluian. Maſſil. L. VII. *de Gubern. Dei.* „Tales igitur „etiam omnes abſque dubio Aquitani eſſe debuerunt, „et quidem vt diximus ſpecialius tales, quia ſpecialia „Dei munera poſſidebant, et quid poſthaec omnia quod „ſecundum eſt, quid niſi cuncta quae e diuerſo ſunt, „in omnibus quippe Galliis ſicut diuitiis primi fuere, „ſic vitiis nusquam enim improbior voluptas, nusquam „inquinatior vita, nusquam corruptior diſciplina. — — „Apud Aquitanicas vero, quae ciuitas in locupletiſſima „ac nobiliſſima ſui parte non quaſi lupanar fuit. — — „Cumque ob impuriſſimam vitam traditi a Deo barbaris „fuerint; impuritates tamen ipſaa etiam inter Barbaros „non relinquunt, eſſe inter Gothos non licet Scortatorem Gothum, ſoli inter eos praeiudicio nationis ac „nominis permittuntur impuri eſſe Romani et miramur „ſi terrae vel Aquitanorum, vel noſtrorum omnium a „Deo barbaris datae ſunt, cum eas quas Romani polluerunt fornicatione nunc mundent barbari caſtitate.“

Adrenald. L. I. *de miracul. S. Benedicti*, c. 38. „Faciles „Aquitanorum animi ad noua quaeque leuiter molienda.“

Hariger. Abb. in vita S. Remacli, c. 48. „Eſt autem „Aquitania voluptatum omnium prae cunctis prouinciis „luxuriae fracta, ac viris efferatos mores habentibus, „bellicoſa pariter et inquieta.“ Plura loca ſcript. ſequioris aeui vide ap. *Alteſerram ret. Aquit.* L. II. c. 4. p. 123. 124. et c. 5. p. 126.

771. *Haec tibi Syluanus tranſpondit munera, Faune!*) Quem iam v. 760 dixerat Faunum, etiam h. l. ſe ipſum contra Syluanum. *Tranſpondit* a *pondo*, zuwägen. Bieſter.

Digitized by Google

Pugnandi ſortem. Hadawartus dixit ad illum:
„O verſute dolis, et fraudis conſcie ſerpens!
„Occultare artem ſquamoſo tegmine ſuetus,
„Ac veluti coluber girum collectus in vnum,
„Tela tot euitas, tenui ſine vulneris ictu?
„Atque venenatas ludis ſine more ſagittas?
„Numquid et iſte, putas, aſtu vitabitur ictus,
„Quem propius ſtantis certo libramine mittit
„Dextra manus? nec enim is teli ſeu vulneris auctor?
„Audi conſilium, parmam deponito pictam.
„Hanc mea ſors quaerit, regis quoque ſponſio patrat.
„Nolo quidem laedas, oculis quod complacet iſtis;
„Sin alias; licet et lucem mihi dempſeris almam,
Aſſunt hic plures ſocii, carniſque propinqui,
„Qui, quamuis volucrem ſimules, pennasque capeſſas,
„Te tamen immunem nunquam patiantur abire."
Belliger at contra nil territus intulit iſta:
„De reliquis taceo; clypeum defendere curo.
„Pro meritis, mihi crede, bonis ſum debitor illi.
„Hoſtibus ipſe meis ſe obponere ſaepe ſolebat,
„Et pro vulneribus ſuſcepit vulnera noſtris.
„Quam ſit oportunus hodie mihi, cernis, et ipſe
„Non cum Walthario loquereris, forſan abeſſet.—"
„Viribus o ſummis hoſtem depellere cures,
„Dextera ne rapiat tibi propugnacula muri.
„Tu cliuum vmbonis ſtudeas retinere ſiniſtrum,
„Atque ebori digitos circumfer glutine fixos.—"
„Iſtic deponas pondus, quod tanta viarum
„Portaſti ſpatia, ex Auarum nam ſedibus altis."
Ille dehinc: „inuitus agis, ſi ſponte recuſas.
„Nec ſolum parmam, ſed equum cum virgine et auro
„Reddes, tum demum ſcelerum cruciamine pendes."
Haec ait, et notum vagina diripit enſem.
Inter ſe, variis terrarum partibus orti,
Concurrunt, Stupuit Voſagus haec fulmina: et, ecce

797. *Nolo quidem* LAEDAS) *Reddas* (ſcil. ſcrinia.) Bieſter.

804. *Pro* MERITIS) *Multis* verum credo. Bieſter.

809—814. Videtur eſſe dialogus inter Waltharium et Hildgundam. Illa ipſi dicit:

Viribus o ſummis — fixos.
* Vt magis eum exciter ad fortiter pugnandum.
Ille ipſi praecipit contra:
Iſtic deponas — altis.

Ille v. 815. eſt Hadawartus. Bieſter.

817. *Cruciamine*) Cruciamina. Bieſter.

Digitized by Google

Ambo ſublimes animis ac grandibus armis,
Hic gladio fidens, hic acer et arduus haſta,
Inter ſe multa ac valida vi praelia miſcent.
Non ſic nigra ſonat percuſſa ſecuribus ilex,
Vt dant tinnitus galeae, clypeique reſultant.
Mirantur Franci, quod non laſſeſceret heros
Waltharius, cui nulla quies ſpatiumue dabatur.
Emicat hic, impune putans, iam Wormatienſis
Alte, et ſublato conſurgit feruidus enſe;
Hic ictu memorans ſemet finire duellum.
Prouidus at iuuenis ferientem cuſpide adacta
Intercepit, et ignarum dimittere ferrum
Cogebat. Procul in dumis reſplenduit enſis.
Hic, vbi ſe gladio ſpoliatum vidit amico,
Accelerare fugam fruticesque volebat adire.
Alpharides, fretus pedibus viridique iuuenta,
Inſequitur, dicens: „Quonam fugis? Accipe ſcutum."
Sic ait, atque haſtam manibus leuat ocius ambis,
Et ferit. Ille cadit, clypeus ſuperintonat ingens.
Nec tardat iuuenis; pede collum preſſit, et haſta
Diuellens parmam, telluri infixerat illum.
Ipſe oculos vertens, animam ſufflauit in auras.
Sextus erat Patawrid; ſoror hunc germana Haganonis
Protulit ad lucem. Quem, dum procedere vidit,
Vocibus et precibus conatur auunculus inde
Flectere, proclamans: „quonam ruis? aſpice mortem,
„Qualiter arridet! Deſiſte. En! vltima Parcae
„Fila legunt. O care nepos! Te mens tua fallit.
„Deſine! Waltharii tu denique viribus impar."
Infelix tamen ille means haec omnia ſpreuit.
Arſit enim iuuenis, laudem captare cupiſcens;

822. *Hic gladio fidens* HIC *acer et arduus haſta*) *Ille.* Bieſter.

839. *Clypeus ſuperintonat ingens*) *Virgil. Aeneid.* IX. 709.

— et clypeus ſuperintonat ingens.

840. *Pede collum preſſit*) Infra v. 976.

Et ſuper aſſiſtens pectus conculcat.

Apud Barbaros erat ſolenne, eorum, quos deuicerant, colla, pedibus conculcare. *Claudian. VI. Conſ. Honor.*

Colla triumphati proculcat Honorius Iſtri.

Tzetzes Grammat. Chil. 2.

Michael Glycas, L. IV. *Annal.* „Sed o caſum infeliſ„cem, in hoſtium denique poteſtatem venit, et vinctus „ad Sultanum deducitur. Ille vero ſolio ſuo deſiliens, „pro more calcata Diogenis ceruice, mox eum de terra „erigit et amanter complexus, Formidinis, inquit, ex„pers eſto Imperator." Eodem alludit vltimo aeuo *Gerbert.* Ep. XVIII. „Qui regulam S. Benedicti profeſſi „eſtis et paſtorem deferendum abiecistis, colla tyrannis „ſponte ſubdidiſtis." Et hunc etiam Romanorum morem nummi nos docent. *Barth. in Aduerſ.* L. III. c. 14. col. 136. et L. XVIII. c. 2. col. 894. 895. *In Comment. ad Guil. Briton. Philipp.* L. I. p. 24. et L. II. p. 111.

Digitized by Google

Triſtatusque Hagano ſuſpiria pectore longa
Traxit, et has imo fudit de corde loquelas:
„O vortex mundi, fames inſatiatus habendi,
„Gurges auaritiae, cunctorum fibra malorum!
„O, vtinam ſolum glutires, dira, metallum
„Diuitiasque alias, homines impune remittens.
„Sed tu nunc homines peruerſo numine perflans
„Incendis, nullique ſuum iam ſufficit. Ecce
„Non trepidant, mortem, pro lucro, incurrere turpem.
„Quanto plus retinent, tanto ſitis ardet habendi.
„Extremis modo vi, modo furtiue potiuntur;
„Et, quod plus renouat gemitus, lacrimasque ciebit,
„Coeligenas animas Erebi fornace retrudunt.
„Ecce, ego dilectum nequeo reuocare nepotem;
„Inſtimulatus enim de te eſt, o ſaeua cupido!
„En coecus mortem properat guſtare nefandam,
„Et vili pro laude cupit deſcendere ad vmbras.
„Heu mihi! care nepos, matri quid perdite mandas?
„Quis nuper ductam refouebit, care, maritam,
„Cui nec raptae ſpei pueri ludicrum dediſti?
„Quis tibi nam furor eſt? vnde haec dementia venit?“
Sic ait, et gremium lacrimis conſperſit obortis,
Et: „longum, formoſe, vale!“ ſingultibus edit.
Waltharius licet a longe ſocium fore moeſtum
Attendit, clamorque ſimul peruenit ad aures.
Vnum incurſantem ſic eſt affatus equeſtrem:
„Accipe conſilium, iuuenis fortiſſime, noſtrum,
„Et te conſeruans, melioribus vtere fatis.
„Deſine; nam tua te feruens fiducia fallit.
„Heroum tot cerne neces, et cede duello.
„Ne, ſuprema videns, hoſtes facias mihi plures.“
„Quid de morte mea curas,“ ait ille, „tiranne?
„Eſt modo pugnandum tibimet, non ſermocinandum.“
Dixit, et in verbo nodoſam deſtinat haſtam,

869. *Heu mihi! care nepos*) *Heu mi care nepos!* Bieſter.

871. *Cui nec raptae ſpei pueri ludicrum dediſti?*) Fort. *Cui nec grata ex ſpe pueri ludicra dediſti?* Bieſter.

874. *Et: longum, formoſe, vale! ſingultibus edit*) *Io. Kirchmann. de Funer. Roman.* L. III. p. 247. *Iac. Gutber. de Iure Manium*, L. I. cap. 12. pag. 74. Fiſcher.

Virgil. Bucol. III. 79.
Et: longum, formoſe, vale, vale, inquit, Iola.
Claudian. rapt. Proſerp. v. 234.
Sis memor, o longumque vale. Bieſter.

877. *Vnum*) *Illum.* Bieſter.

882. *Ne, ſuprema videns, hoſtes facias mihi plures*) Propter vindictam ſanguinis a tota gente ſuſcipiendam. Vid. not. ad v. 685.

Digitized by Google

Cuſpide quam propria diuertens tranſtulit heros,
Quae ſubuecta choris, ac viribus acta furentis
In caſtrum venit, atque pedes ſtetit ante puellae.
Ipſa metu perculſa, ſonum promſit muliebrem.
At, poſtquam tenuis redit in praecordia virtus,
Paulum ſuſpiciens, ſpectat, num viueret heros.
Tunc quoque vir fortis Francum decedere bello
Iuſſit. At ille furens gladium nudauit, et ipſum
Incurrens petiit, vulnusque a vertice librat.
Alpharides parmam demum concuſſerat aptam,
Et ſpumantis apri frendens de more tacebat.
Ille ferire volens, ſe pronior omnis ad ictum
Expoſuit; ſed Waltharius ſub tegmine flexus
Delituit, corpusque ſuum contexit, et ecce
Vulnere deluſus iuuenis recidebat ineptus.
Finis erat; niſi quod genibus tellure refixis
Belliger accubuit, calibemque ſub orbe cauebat.
Hic dum conſurgit, pariter ſe ſubrigit ille,
Ac citius ſcutum trepidus ſibi praetulit, atque
Fruſtra certamen renouare parabat. At illum
Alpharides fixa gladio petit ocius haſta
Et mediam clypei dempſit vaſto impete partem,
Armatam reſecans loricam, atque ilia nudans.
Labitur infelix Patavrid ſua viſcera cernens,
Silueſtrique ferae corpus, animam dedit orco.
Hunc ſeſe vlturum ſpondens, Gerwitus adiuit;
Et fortis, ſubuectus equo, ſupra uolat omnem
Stragem, quae anguſtam concluſerat obuia callem.
Et, dum bellipotens reſecaret colla iacentis,
Venit, et ancipitem vibrauit in ora bipennem.

886. *Choris)* Aciebus. *Seru. ad Virgil. Aeneïd.* L. V. v. 580.
Diductis ſoluere choris.

914. *Bellipotens* Waltharius *dum reſecabat colla iacentis* Pataruidi, in eo tempore *aduenis* Gerwitus, et, etc. Bieſter.

915. *Et ancipitem vibrauit in ora bipennem)* *Sidon. Apollin.* Carm. V.
Excuſſiſſe vaſtum per inane bipennes —
Ludus.
Et L. IV. Ep. 20. eos appellat:
„Secures miſſiles.“

Procop. de bello Goth. L. II. c. 25. „Geſtant enſem, „clypeum et ſecurim, cuius ferrum craſſum eſt, et vtrin„que acutum. Hanc Franci ſecurim in primo ipſo con„greſſu iacere in hoſtem conſueuerunt eo impetu, vt „ſcuta perfringant, et ipſos ſimul interimant.“

Agath. Scholaſt. L. II. *Hiſt.* „Arcus, fundas, et quae „alia eminus feriunt, non habent, ſed ancipites ſecures.“

Gregor. Turon. L. II. c. 27. „Neque haſta, neque gla„dius, neque bipennis eſt vtilis.“

Forma videre eſt ap. *Gabr. Daniel Hiſt. de la Milice Françoiſe* Tome I. p. 4. Planche II. *Du Cange in Gloſſ.* Vol. III. col. 682. v. Franciſca.

Digitized by Google

Iſtiusque modi Francis tunc arma fuere.
Vir celer obiecit peltam, fruſtrauit et ictum;
Ac retro ſaliens, haſtam rapiebat amicam,
Sanguineum vlua viridi dimiſerat enſem.
Hic vero metuenda virum tum bella videres.
Sermo quidem nullus fuit inter inertia tela;
Sic erat aduerſo mens horum intenta duello.
Is furit, vt caeſos mundet vindicta ſodales;
Ille ſtudet, vitam toto defendere niſu,
Et ſi ſors dederit, palmam retinere triumphi.
Hic ferit, ille cauet, petit ille, reflectitur iſte;
Ad ſtudium fors et virtus miſcentur in vnum.
Longa tamen cuſpis breuiori depulit hoſtem
Armatum telo, girat ſed et ille cauallo,
Atque fatigatum cupiebat fallere Homonem.
Iam magis atque magis irarum mole grauatus
Waltharius clipeum Gerwiti ſuſtulit vnum,
Tranſmiſſumque femur penetrauerat inguine ferrum.
Qui, poſt terga ruens, clamorem prodidit atrum,
Exitiumque dolens, pulſabat calcibus aruum.
Hunc etiam truncum caeſa ceruice reliquit.
Hic in Wormatiae campis comes extitit ante.
Tum primum Franci ceperunt forte morari,
Et magnis precibus Dominum decedere pugna
Depoſcunt. Furit ille miſer, coecusque profatur:
„Ne fors vel euicunque metum, ſed conferat iram.
„Quid mihi, ſi Voſago ſic ſic inglorius ibo,
„Mentem quippe meam ſibi vendicet: en ego partus
„Ante mori ſum, Wormatiam quam talibus actis
„Ingrediar. Petat hic patriam ſine ſanguine victor?
„Hactenus arſiſtis, hominem ſpoliare metallis;
„Nunc ardete, viri, fuſum mundare cruorem,
„Vt mors abſtergat mortem, ſanguis quoque ſanguem,
„Soleturque necem ſociorum plaga necantis.“

916. *Iſtiusque modi Francis tunc arma fuere*) Docemur, in fine Saeculi VI. Francos ſecures geſtare deſiiſſe.

932. *Vnum*) Leg. vncum. Bieſter.

937. *Hic in Wormaciae campis comes extitit ante*) Ergo ſententia Eruditiſſimi *Morizii*, Wormatiam ciuitatem regalem ſemper fuiſſe et nunquam alicuius Comitis aut Epiſcopi poteſtati ſubiectam omnino comprobatur.

945. — *Petat hic patriam ſine ſanguine victor?*

946. *Hactenus arſiſtis hominem ſpoliare metallis,*

947. *Nunc ardete viri fuſum mundare cruorem.*

948. *Vt mors abſtergat mortem, ſanguis quoque ſanguem,*

949. *Soleturque necem ſociorum plaga necantis*)

His alium dictis demens incendit, et omnes
Fecerat immemores vitae, ſimul atque ſalutis.
Ac, vti in ludis, alium praecurrere quisque
Ad mortem ſtuduit; ſed ſemita, vt antea dixi,
Cogebat binos bello decedere ſolos.
Vir tamen illuſtris, dum cunctari videt illos,
Vertice diſtractas ſuſpendit in arbore criſtas,
Et, ventum captans, ſudorem terſit anhelus.
Ecce, repentino Randolff athleta caballo,
Praeuertens reliquos, huc importunus adiuit;
Et mox ferrato petiit ſub pectore conto.
Et niſi duratis Vuelandia fabrica giris
Obſtaret, ſpiſſo penetrauerit ilia ligno.
Ille tamen, ſubito ſtupefactus corda pauore,
Munimen clypei obiecit, mentemque recepit;
Nec tamen et galeam fuerat ſumſiſſe facultas.
Francus at emiſſa gladium nudauerat haſta;
Et feriens, binos Aquitani vertice crines
Abraſit, ſed forte cutem praeſtringere ſummam
Non licuit; rurſumque alium vibrauerat ictum,
Et praeceps animi directo obſtamine ſcuti
Impegit calibem, nec quiuit viribus vllum
Elicere. Alpharides retro ſe, fulminis inſtar,
Excutiens, Francum valida vi fudit ad aruum,
Et, ſuper aſſiſtens, pectus conculcat, et inquit:
„En pro caluitio capitis te vertice fraudo,
„Ne fiat iſta tuae de me iactantia ſponſae.“

Omnia, quae ad v. 684. 696. 700. 722. dixi, hic pleniſſime probantur. Conf. *Gail. Lambardi Gloſſar. in Archaeonomia*, p. 217. v. *Capitales inimicitiae.*

952. *Ac vti) Ac, velut.* Bieſter.

961. *Vuelandia fabrica)* Supra v. 261.

— loricam fabrorum inſigne ferentem Diripe:

968. *Sed forte cutem praeſtringere ſummam*

969. *Non licuit)* Supra v. 947. dixit rex Guntharius:

— Petat hic patriam ſine ſanguine victor?

Fuit ergo maximus in duellis honor, absque minima propriae ſanguinis effuſione victoriam obtinere.

Aliam rationem adiecit *Thorm. Torfaeus in Hiſtor: Noruag.* P. II. p. 192. „Legibus monomachiae, inquit, „conſtitutum erat, vt qui vulnus acciperet, ſe pretio „ad arbitrium victoris redimeret; victor autem in occiſi „vniuerſa bona ſuccederet.“

976. *Ne fiat iſta tuae de me iactantia ſponſae)* Conf. ſupra v. 569.

Tunc, ait, ex pugna tibi, Hiltgund, ſponſa reſeruor.

Feminae Germanorum iudices in re bellica fuerunt. *Carol. Du Fresne*, Diſſ. VII. *ad Joinvill. Edit. Piſtorii*, p. 1334. 1335. *Guil. Brito Philipp.* v. 143.

Nunc quisque ſuae memor eſto puellae.

More, fortitudinem in pectus reuocandi, Heroibus maximis celebrato, qui non minus ciuiles atque perfecti formoſarum puellarum miniſtri haberi volebant, quam ſtrenui armorum cultores. *Barthius in Comment. ad Briton.* p. 687.

Cleſſel. Ant. Sel. Septentr. c. 1. § 3. In viris virtus plurimum valebat ſpectataque fortitudo. *Saxo.* L. V. p. 69. „Nulli quondam illuſtrium feminarum connubiis „idonei cenſebantur, niſi qui ingens famae pretium „geſtarum inſigniter rerum fulgore ſtruxiſſent. Summum „in proco vitium deſidia fuit. Nihil magis in nuptiarum petitore quam claritatis inopia damnabatur. Sola

Digitized by Google

Vix haec effatus, truncauit colla precantis.
At nonus pugnae Helmnod ſucceſſit, et ipſe
Inſertum triplici geſtabat ſune tridentem,
Quem poſt terga quidem ſtantes ſocii tenuerunt;
Conſiliumque fuit, dum cuſpes miſſa ſederet
In clypeo, cuncti pariter traxiſſe ſtuderent,
Vt vel ſic hominem deieciſſent furibundum,
Atque ſub hac certum ſibi ſpe poſuere triumphum.
Nec mora; Dux, totas fundens in brachia vires,
Miſit in aduerſum magna cum voce tridentem,
Et dicens: „Finis ferro tibi, calue, ſub iſto.“
Qui, ventos penetrans, iaculorum more coruſcat;
Quod genus aſpidis ex alta ſeſe arbore, tanto
Turbine demittit, quo cuncta obſtantia vincat.
Quid moror? Vmbonem ſcindit, peltaque reſultat.
Clamorem Franci tollunt, ſaltusque reſultant;
Obnixique trahunt reſtim ſimul atque viciſſim,
Nec dubitat princeps, tali ſe aptare labori.
Manarunt cunctis ſudoris flumina membris.
Sed tamen hic intra velut Eſcilus aſtitit heros,
Qui non plus petit aſtra comis, quam tartara fibris,

„gloriae vbertas caeterarum rerum opulentiam exhibe-„bat; puellae quoque non tam procantium ſe formas, „quam edita ſpecioſe facinora mirabantur.“

Saxo. L. VII. p. 128. „Apud eam (Sygnem) enim ma-„ximum contemtum eius (Hildigiſlci) obſcuritas pepe-„rerat, quod fortitudine vacuus aliena probitate fortu-„nam inſtruere videretur. Praecipue eandem in Hae-„conis amorem magnatium eius ſpectata deflexit opinio. „Quippe maiorem fortium quam imbellium reſpectum „agebat, nec formam ſed operum inſignia mirabatur, „ſciens omne decoris blandimentum ſola virtutis aeſti-„matione ſordeſcere, nec aequa illi lance conferri.“

979. *Inſertum triplici geſtabat fune tridentem,*

980. *Quem poſt terga quidem ſtantes ſocii tenuerunt)* Vocabatur *ango.* *Suidas:* „Angones, patria iacula „apud Francos.“ *Euſtath.* „Angos, genus haſtae Fran-„cicae neque longae admodum, neque magnae, quae „plurima ferro tegitur.“ *Agath.* L. II. „Sunt angones „haſtae neque magnae omnino, neque nimium exiguae; „tales vt et iaci poſſent, et ſi conſerta manu pugnan-„dum ſit, incuſſu validae. Pars horum maxima ferro „obducta eſt, vix vt haſtile appareat, et id, qua terrae „infiguntur. In ſummo ad cuſpidis latera ſpicula pro-„minent, hamorum in modum ad inferna ſe inflecten-„tia.“ Hinc *Apollin.* L. IV. Ep. XX. „*Lanceas vncatas*“ appellauit, et Poeta noſter: *tridentem.* Figura videre eſt ap. Daniel c. l. Tom. I. p. 4. Tab. II.

981. *Conſiliumque fuit, dum cuſpes miſſa ſederet,*

982. *In clypeo, cuncti pariter traxiſſe ſtuderent,*

983. *Vt vel ſic hominem deieciſſent furibundum)* Infra v. 1001.

Certabant hoſtes, hortabanturque viritim,
Vt ſi nequirent ipſum detrudere ad arvum
Munimen clypei ſaltem extorquere ſtuderent.

Huiusmodi genus pugnae optime deſcripſit *Agath. Hiſt.* L. II. „Non temere inter pugnandum angonem „emittit Francus. Si corpus intrauerit, penetrat cuſpis, „nec facile ſe ea liberauerit, qui vulnus accepit; pro-„hibent enim vnci inhaerentes carni, tantosque eaci-„tant cruciatus, vt etiamſi ceterum lethalis ictus non „ſit, dolor ad interitum ſatis ſit. Quod ſi impactus „ſit clypeo, dependet, et cum eo circumagitur, parte „extima ſolum verrens, neque poteſt, qui impeditus „eſt, aut euellere haſtam ſpiculis retinentibus aut gladio „abſcindere, quod ad lignum pertingere nequeat, ferro „intercedente. Id ſimul conſpexit Francus partem an-„gonis infimam, inſtans ac premens pede praegrauatum „deducit clypeum, ita vt ferentis cedat manus, caput-„que eius et pectus nudetur. Sic patentem nactus, „nullo negotio interficit, aut ſecuri in frontem adacta „aut alia haſta gulam transuerberans.“

991. *Peltaque reſultat)* *Peltamque reſultat*, id eſt, reſilire facit Bieſter.

996. *Sed tamen hic intra velut eſcilus aſtitit heros,*

997. *Qui non plus petit aſtra comis, quam tartara fibris*

Digitized by Google

Contemnens omnes ventorum, immota, fragores.
Certabant hoſtes, hortabanturque viritim;
Vt, ſi nequirent ipſum detrudere ad aruum,
Munimen clipei ſaltem extorquere ſtuderent;
Quo demto viuus facile caperetur ab ipſis.
Nomina, quae reſtant, edicam; iamque trahentum
Nonus Eleuter erat, Helmnod cognomine dictus.
Argentina quidem decimum dant opida Trogunt;
Extulit vndecimum pollens vrbs Spira Tanaſtum;
Abſque Haganone, locum ſuppleuit Rex duodenum.
Quatuor hi aduerſum ſummis conatibus vnum
Contendunt pariter, multo varioque tumultu.
Interea Alpharidi vanus labor intulit iram.
Qui, quia iam pridem nudauit caſſide frontem,
In framea tunicaque ſimul confiſus aena,
Obmiſit parmam, primumque inuaſit Eleutrim.
Huic, galeam findens, cerebrum diffudit, et, ipſam
Ceruicem reſecans, pectus patefecit; at aegrum
Cor pulſans animam liquerat mox atque calorem.
Inde petit Trogunt herentem in fune nefando,
Qui ſubita attonitus recidentis morte ſodalis,
Horribilique hoſtis conſpectu, ceperat acrem
Necquicquam temptare fugam, voluitque relicta
Arma recolligere, vt rurſum repararet agonem.
Nam cuncti funem tracturi, depoſuerunt
Haſtas cum clipeis. Sed, quanto maximus heros
Fortior extiterat, tanto fuit ocior olli,
Et curſu capto ſuras mucrone recidit,

998. *Contemnens omnes ventorum, immota, fragores)* Elegans imitatio *Homeri Iliad.* M. v. 132.

Εςασαν, ὡς ὅτε τε δρυες ουρεσιν ὑψικαρηνοι,
Αἱ τ' ανεμον μιμνουσι και ὑετον ηματα παντα,
Ριζῃσιν μεγαλῃσι διηνεκεεσσ' αραρυιαι.

Virgil. Georg. L. II. v. 290.

Altior ac penitus terra defigitur arbos
Aeſculus inprimis: quae, quantum vertice ad auras
Aetherias, tantum radice in Tartara tendit.
Ergo non hiemes illam, non flabra, neque imbres
Conuellunt, immota manet, multosque nepotes
Multa virum voluens durando ſaecula vincit.

Silius Ital. Punicor. L. V. v. 480.

Annoſa excelſos tendebat in aethera ramos;
Aeſculus, vmbroſum magnas ſuper ardua ſiluas
Nubibus inſertans altis caput, inſtar (aperto
Si ſtaret campo) nemoris, lateque tenebat
Frondoſi nigra tellurem roboris vmbra.

1006. *Vrbs Spira) Excerpta ex libello Gall. prouinc. ap. Conring. ad Taciti Germ.* p. 169. „Ciuitas Nemetenſium, hoc eſt, Spira."

Guido de Rauenna in Geograph. L. IV. § 26. „Sphira." Conf. *Galliae Chriſtianae*, Vol. V. *Mon. Ord. S. Bened.* Paris 1731. p. 713.

1012. *In framea — confiſus)* *Tacit. de Mor. Germ.* c. 6. „Haſtas, vel ipſorum vocabulo, *frameas*, gerunt, „anguſto et breui ferro, ſed ita acri et ad vſum belli „habili, vt eodem telo, prout ratio poſcit, vel comi„nus, vel eminus pugnent." Verbum deſcendit a *framen* mittere, prout demonſtrauit celeberr. *Wachter in Gloſſar.* v. *Cateia et Framea.* col. 243 et 471.

1024. *Tanto fuit ocior* OLLI) *Illo.* Bieſter.

Ac ſic tardatum praeuenit et abſtulit eius
Scutum. Sed Trogus, quamuis de vulnere laeſus,
Mente tamen feruens, ſaxum circumſpicit ingens,
Quod rapiens, ſubito obnixum contorſit in hoſtem,
Et proprium a ſummo clipeum fidit vsque deorſum.
Sed retinet fractum pellis ſuperaddita lignum.
Moxque genu poſito, viridem vacuauerat edem;
Atque ardens animis vibratas terruit auras.
Quaſi non quiuit virtutem oſtendere factis,
Corde tantum habitum patefecit, et ore virilem.
Nec manes ridere videns, audaciter infit:
„O, mihi ſi clipeus, vel ſi modo adeſſet amicus!
„Fors tibi victoriam de me, non inclita virtus
„Contulit, ad ſcutum mucronem tollito noſtrum!“
Tum quoque ſubridens: „venio iam“ dixerat heros,
Et, curſu aduolitans, dextram ferientis ademit.
Sed, cum athleta ictum libraret ab aure ſedentem,
Pergentique animae valuas aperire ſtuderet;
Ecce, Tanaſtus adeſt, telum cum rege reſumtis,
Et ſocium obiecta protexit vulnere pelta.
Hinc indignatus iram conuertit ad ipſum
Waltarius, humerumque eius de cardine vellit,
Poſtque latus ducto ſuffudit viſcera ferro.
Alte procumbens ſubmurmurat ore Tanaſtus.
Quo recidente preces contemſit promere Trogus,
Conuiciisque ſuis victorem incendit amaris;
Seu virtute animi, ſeu deſperauerat. Exin
Alpharides: „morere,“ inquid, „et haec ſub tartara transfer,
„Enarrans ſociis, quod tu ſis vltus eosdem.“
His dictis, torquem collo circumdedit aureum.

1032. *Edem*) In Gloſſa interlineari coaeuae manus: *vaginam*. Fiſcher.
Igitur aut eſt vox celtica; aut ſcriptum loco *τὸ aedem*, et hoc poſitum pro *vagina*, quaſi ea eſſet *domus*, *aedes* enſis. Bieſter.

1034. *Quaſi*) *Quodſi*, ſiue *Etſi*. Bieſter.

1035. *Corde tantum*) *Corde tamen*. Bieſter.

1036. *Nec manes videre videns*) Quamquam Poeta noſter Chriſtianus ſit, et ſaepius carmini proprias cogitationes, vitam monachalem ſatis olentes, interſperſerit, interdum tamen etiam loquendi formulis vtitur gentilibus; quod probare videtur, ſcriptorem poema ſuum ex antiquioribus monumentis pepigiſſe; nam apud maiores noſtros gentiles credebatur, manes ſe teſtes factorum Heroicorum praebere. Conf. *Oſſian. in Carmin.* et *Trogill. Arnkiel. in Gentiliſmo Cimbr.* Fiſcher.
Sed haud dubie, lectio falſa. Coni. *Nec minus hunc.* Bieſter.

1049. *Alte*) In Mſto: *Aue*. Fiſcher.
Quod verum credo; moriens murmurat: *Ave pium*. Bieſter.

1053. *Et* HAEC *ſub tartara transfer*) *Hos*. Bieſter.

1055. *Torquem collo circumdedit aureum*) Phraſis admodum obſcura, ipſum enim aut torque aureo ſuffocavit, aut gladio decollauit. Fortaſſe obſcurior verſus per loca ſcriptorum de famoſo torque Hattonis loquentium illuſtratur. Vid. ea in *Chriſtii Noct. Academ.* L. III. Obſ. XVI. p. 281.

Digitized by Google

Ecce ſimul caeſi voluuntur puluere amici,
Crebris foedatum ferientes calcibus aruum.
His Rex infelix iuſſis ſuſpirat, et omni
Aufugiens ſtudio, phalerati terga caualli
Scandit, et ad moeſtum citius Haganona volauit,
Omnimodisque illum precibus flexiſſe ſategit,
Vt ſecum pergens pugnam repararet. At ille:
„Me genus infandum prohibet bellare parentum,
„Et gelidus ſanguis mentem mihi demſit in armis.
„Tabeſcebat enim genitor,' dum tela videret,
„Et timidus multis renuebat proelia verbis.
„Haec dum iactaſſes, Rex, inter te comitantes,
„Extitit indignum nomen tibi quippe viuamus."
Ille recuſanti precibus nihilominus inſtans
Talibus, auerſum ſatagit reuocare loquelis:
„Te rogo per ſuperos, conceptum pone furorem.
„Iram de noſtra contractam decute culpa,
„Quam, vita comitante domum ſi venero tecum,
„Impenſis tibimet benefactis diluo multis.
„Nonne pudet ſociis tot cognatisque peremtis
„Diſſimulare virum? Magis, vt mihi quippe videtur,
„Verba valent animum quam facta nefanda mouere.
„Iuſtius in ſaeuum tumuiſſes mente tirannum,
„Qui ſolus hodie caput infamauerat orbis.
„Non modicum patimur damnum de caede virorum,
„Dedecus at terra ſuperabit Francia nunquam.
„Antea queis fuimus ſubiecti? ſibila dantes,
„Francorum dicent exercitus, omnis ab vno.
„Proh pudor, ignotum! vel qui eſt impune necatus!"
Cunctabatur adhuc Haganon, et pectore ſponſam
Walthario plerumque fidem voluebat, et ipſum
Euentum geſtae recolebat in ordine cauſae.

1058. *His Rex infelix* IVSSIS *ſuſpirat) Viſis.* Bieſter.

1068. *Extitit indignum nomen tibi* QVIPPE VIVAMVS) Et ſenſus claudicat et metrum. Fort. *Quod debeamus.* Bieſter.

1079. *Qui ſolus hodie caput infamauerat orbis)* Scil. Wormaciam. *Mabillon. de re dipl.* L. IV. § 161. p. 341. Priſcis in tabulis notitiisque prouinciarum atque dignitatum Romani Imperii Warmatia *caput gentis* et Germaniae primae Ciuitas agnoſcitur. Hanc ſaepe Francici Reges a mille et amplius annis rebus publice geſtis exornarunt.

1081. *Dedecus at* TERRA *ſuperabit Francia nunquam) Terrum.* Bieſter.

1085. — — *Et pectore ſponſam*

1086. *Walthario plerumque fidem voluebat)* Infra v. 1255. Waltharius alloquitur Haganonem:

Numquid mente fidem abradis ſaepiſſime pactam?
Deprecor hic, abſcide nefas, neu bella laceſſas,
Sitque inconuulſum nobis per tempora foedus.

Digitized by Google

Supplicius tamen infelix rex inſtitit illi,
Cuius ſubnixe rogitantis acumine motus
Erubuit, Domini vultum replicauit honore
Virtutis propriae, qui ſors vileſceret inde,
Si quocunque modo in rebus ſibi parceret iſtis.
Eripuit tandem, et clara ſic voce reſpondit:
„Quo me, Domne, vocas? quo te ſequar, inclite Princeps?
„Quae nequeunt fieri, ſpondet fiducia cordis.
„Quis tam deſipiens, quicunque fuiſſe probatur
„Qui ſaltu baratrum ſponte acceptauit apertum.
„Nam ſcio Waltharium per campos ſic fore acerbum,
„Vt, tali caſtro nec non ſtatione locatus,
„Ingentem cuneum velut vnum temnat homullum.
„Et licet huc cunctos equites ſimul atque pedeſtres
„Francia miſiſſet, ſic his, ceu fecerat iſtis.
„Sed quia conſpicio, te plus doluiſſe pudore,
„Quam caedis damno, nec ſic diſcedere velle;
„Compatiar, propriusque dolor ſuccumbit honori
„Regis, et ecce viam conor reperire ſalutis,
„Quam tamen aut nunquam oſtendet ſe, ſiue coacte.
„Nam proprium, carum, fateor tibi, Domne, nepotem
„Promiſſam fidei normam corrumpere nollem.
„Ecce in non dubium, pro te, Rex, ibo periclum;
„Aſt hinc me penitus conflictum cedere noris.
„Secedamus, eique locum praeſtemus eundi;
„Et poſiti in ſpeculis tondamus prata cauallis,
„Donec iam caſtrum ſecurus deſerat artum,
„Nos abiiſſe ratus campos vi calcet apertos.
„Inſurgamus, et attonitum poſt terga ſequamur;
„Sic aliquid virtutis opus tentare valemus.
„Haec mihi in ambiguis ſpes eſt certiſſima rebus,
„Tum bellare potes, belli, rex, ſi tibi mens eſt,
„Quippe fugam nobis nunquam dabit ille duobus.
„At nos aut fugere, aut atrum bellare neceſſe eſt.“
Laudat conſilium ſatrapa et complectitur illum,

1093. *Eripuit) Erubuit.* Bieſter.
1107. *Quam)* Leg. *quae.* Bieſter.
1116. *Inſurgamus et attonitum poſt terga ſequamur)*
Notum ſtratagema Francorum, hoſtes in denſis ſaltibus intercipiendi. *Sidon. Apoll.* Carm. V.

Ludus et intortas praecedere ſaltibus haſtas
Inque hoſtem veniſſe prius.

Caſſiodor. XI. Var. 1. dicit: „ipſos praecipitatis ſaltibus proelia ſemper intuliſſe.“

Oſcilloque virum demulcet. Et ecce recedunt,
Inſidiisque locum circumſpexere ſat aptum,
Dimiſſique ligant animalia gramine laeto.
Interea occiduas vergebat Phoebus in oras
Vltima per notam ſignans veſtigia Thilen,
Quae cum Scotigenis poſt terga reliquit Hiberos.
Hic poſtquam Oceanas ſenſim calefecerat vndas,

1127. *Vltima per notam ſignans veſtigia Thilen.*

1128. *Quae cum Scotigenis poſt terga reliquit Hiberos*) Cum nuper quidam Fratres Ord. S. Benedicti ex congregatione S. Mauri in tractatu *de re diplomatica*. T. I. p. 214. dixerint: L'Hiſtoire d'Hialmar Roi de Biarmlande et de Thulemarkie imprimée a Stockholm en 1699. et publiée de nouveau *dans la Diſſert. epiſt. de Hickes* p. 129. (1776. iterum vero a Celeberr. *Michaelero in monument. Vet. linguae Teutonicae* recuſa) va nous fournir un nouveau curieux, et qui peut donner un grand avantage à l'opinion, qui place la Thule des Anciens dans la Scandinauie. (Thath ligr, ſunt verba monumenti, amilli Thulemarkn aug Gandvik.) Cette hiſtoire fut ecrite en Runes, il y a VIII—IX. cents ans. (Sed de hac aetate Viri Summi *Otto Sperling* et *Ericus Benzelius* grauiter dubitant. Vid. *Michaeler in prologo*.) lubet hic *Thormodi Torfaei* rationes dubitandi *in Hiſt. Noruag.* Tom. I. p. 11. prolatas, inferere: „Cui, inquit, „potiſſimum ſeptentrionalium terrarum id nomen, „(Thule) iure ſitus aut etiam aliarum proprietatum „competat, haud minus inter doctos controuertitur; „aliis Islandiae, aliis Hetlandiae, quam veteres Noruegi „Hialtlandiam appellarunt, aliis Vtopiae, vt quae nusquam inueniatur terra, aliis Orcadum vni, *aliis Thylemarchiae Noruegicae*, aliis denique toti peninſulae „Scandinauiae illud applicantibus; quorum poſtremum „*Rudbeckius* magni ponderis argumentis it aſſertum, „probatque, non ſolum *Procopium* id ſenſiſſe, qui hanc „peninſulam, et, ſecundum *Pontani* mentem, totam „etiam Daniam ſub Thules nomine deſcripſit, ſed et „longe antiquiores ſcriptores *Pytheam, Iſidorum, Strabonem, Melam, Plinium, Solinum*, iis in ſuis deſcriptionibus notis illam depinxiſſe, quae, vel Islandiae, „vel Scetlandiae, vel vllis praeter Sueciam terris nullo „modo competunt. Cum tamen quasdam ex iis Scandinauia non admittat, recipiat autem Islandia; alias „contra reſpuat, quas Scandinauia ſibi vendicat; quaedam etiam vtrique communes ſint, dubia valde conclusio formatur, cui potiſſimum illud nomen ſit adſcribendum. Neque enim Noruegiae, vel Sueciae „ſeptem dierum nauigatio in ſeptentrionem a Britannia competit, quod de Thule *Pytheas* tradidit, quam „tamen ſub eodem cum Meroe, Alexandria, Helleſponto, et Boriſtene meridiano eum conſtituiſſe *Rudbeck*. monſtrat, longius ab Islandia, quam ſitus ratio „patitur, remoto: male etiam de Suecia et Noruegia „dicitur, mitiorum fructuum capaces non eſſe; quod „tamen *Pytheas* de Thule praedicat, licet eam larga et „diutina Pomona copioſam, incolasque in hyemem arborum fructus congerere, Solinus memoret. porro a „Nerigone in Thulen nauigari, quod habet *Plinius*, abſurdum erit, ſi Nerigon, ſiue Noruegia hodierna, „Thule eſt: mare denique concretum, quod pulmonis „marini ſimile eſſe, vniusque diei nauigatione a Thule „diſtare, *Pytheas* tradidit, non minus vere de Islandiae „occidentalibus oris, ſi a ſinu Iſafiördo Caurum verſus „nauigetur, quam de Scandinauiae ſeptentrionalibus „dicetur; ſaepe enim ingens illa glacies Islandiae occidentalia borealiaque litora magnam veris aeſtatisque „partem obſidet. Haud itaque Thules nomen Islandiae „adimendum, cum *Ptolemaeus* proxime ad eius ſitum „Thulen retulerit; *Solinus* etiam inter Britannicas inſulas eam computet, et quidem vltimam, ſeptentrionem „verſus, id quod Noruegia non agnoſcit." Conſentit *Io. Meſſen. in Scond. illuſtr.* T. XII. p. 18. T. XIII. p. 2. At poeta noſter ab his toto coelo differt et Thylen inter inſulas Britannicas locat, ecu quoque *Claudian*.

Incaluit Pictorum ſanguine Thule.

Quocum *Seruii Honor.* deſcriptio ad L. I. *Virg. Georg.* — — tibi ſeruiat vltima Thule, conſentit. „Thule, „inquit, inſula eſt Oceani inter ſeptentrionalem et occidentalem plagam, vltra Britanniam et Orcadas: „quae inſula in Oceano vltima eſt, in qua, ſol cum in „cancro eſt, perpetui dies ſine noctibus eſſe dicuntur." Islandiam ab Inſula Thule bene diſtinxit *Iul. Pompon. Sabin. ad e. l. Virg.* „Thyle inſula eſt vltima Oceani „Britannici. Fieri tamen poteſt, quod a ſiniſtris nulla „ſit inſula, ſiue flectas ad Zephyrum, ſiue ad Boream. „A dextris vero inter Boream et Eurum nauigando ad „ortum ſolis multae occurrunt inſulae poſt Thylem, „quarum plerasque inhabitant homines minimae ſtaturae. „— — Eſt et magna inſula ſub ipſo ſeptentrione (*En „Islandiam, aut Nowaiam Semlam ab inſula Thule probe „diſtinctam*) quae ad ortum opponitur, et non longe a „continenti, in qua raro, aut nunquam illuceſcit dies. „Animalia ibi omnia ſunt alba, et praecipue vrſi; et „aues, quas a falcatis vnguibus Falcones appellamus, „ſub hoc aere degere inuenimus. Prope glacialis Oceani „oras, habitant ſiluestres homines. *Vgari, ſiue Vgri,* „*Scythae quidem ſunt*, et a caeteris mortalibus ſemoti, „apud eos neque aurum, neque argentum cognoſcitur, „neque aes; cum proxima gente mercimonia permutant „aut cum Zauolocenſibus. *Sic narrauere mihi, qui ad „origines Tanais habitant.*" His vltimis verbis origo Hungarorum eorumque cognatio cum Laponibus et Finnis plene probatur, et confirmatur. Conf. *Schmidt in primis lin. Hiſt. Imp. German.* Sect. III. § 241. p. 91.

Digitized by Google

Heſpera et Auſoniis obuertit cornua terris
Tum ſecum ſapiens cepit tractare ſatelles:
Vtrum ſubtuto per vaſta ſilentia caſtro
Siſteret, an vaſtis heremi committeret aruis.
Aeſtuat immenſis curarum fluctibus, et quid
Iam faceret, ſollers arguta indagine quaerit.
Solus enim Hagano fuerat ſuſpectus, et illud
Oſcillum regis ſubter complexibus actum.
Ambigerat prorſus, quae ſit ſententia menti
Hoſtis; et: an vrbem vellent remeare relictam,
Pluribus vt ſociis, per noctem forte coactis,
Primo mane parent bellum renouare nefandum?
An ſoli inſidias facerent, propiusque laterent.
Terrent adhuc triuiis ignoti ſilua meatus,
Haec loca fortaſſis incurreret aſpera ſpinis,
Immo quippe feris ſponſamque amitteret illis.
His ita prouiſis exploratisque profatur:
En, quocunque modo res pergant, hic recubabo,
„Donec circuiens lumen ſpacia redit amatum.
„Ne patriae fines dicat rex ille ſuperbus
„Euaſiſſe fuga, furis de more, per vmbras."
Dixit; et ecce viam vallo praemuniit artam,
Vndique praeciſis ſpinis ſimul et paliuris;
Quo facto, ad truncos ſeſe conuertit amaros
Cum gemitu, circumque ſuum caput applicat, atque
Contra Orientalem proſtratus corpore partem,
Ac nudum retinens enſem, hac cum voce precatur:

1131. *Satelles)* De vero ſenſu vocis *Satelles* apud ſcriptores huius aetatis, vid. *Claud. Salmaſ. ad Aelii Lamprid. Alex. Seu. Hiſt. Aug.* T. I. p. 1031. *Du Cange Gloſſ.* Tom. VI. col. 150. *Ammian. Marcellin.* L. XVI. pag. 91. *Mettingh de ſtatu milit. Germ.* Sect. II. § 8. p. 91 et 92.

1143. *Terrent) Terret*, ſcil. ſilua. Bieſter.

1147. *En)* In. F. Non male; vt iungatur ſequentibus: *In quocunque modo*, etc. aut fort. Iam. Bieſter.

1148. *Spatia redit)* Sol reddit. Bieſter.

1149. *Patriae)* Singulari notione, pro regione, terra, vt ſaepe *Guido de Rauenna*, antiquus ſcriptor Gothus, in *Geograph.* L. III. § 3. „Item iuxta limbum Oceani „ponitur *patria*, quae dicitur Aethiopia Garamantium. „— Ad frontem autem eiusdem Garamantium *patria* „eſt arida, deſerta, montana, quae dicitur Marmarides. „§ 4. Item iuxta mare magnum ponitur *patria*, quae „dicitur Mauritania. § 5. Item iuxta Oceanum ponitur „*patria*, quae dicitur Aethiopia Biblobatis. — Ad „frontem autem iuxta Biblobatis *patriae* per medio „multa ſpatia, id eſt, deſerta, quae ſupra nominauimus. „Iuxta mare magnum ponitur *patria* nimis ſpatioſiſſima „quae dicitur Africana." etc.

1154. *Circumque ſuum caput applicat)* Verſus, quem me non intelligere ingenue fateor. Fiſcher.

Fort. caput ſuum adplicat ad (circum) truncum aliquem. Bieſter.

1155. *Contra Orientalem proſtratus corpore partem*
1156. — — — *precatur)*

Pagani Veteres Deos ſuos adoraturi, vultu ad Orientem verſo id perfecerunt. *Io. Iac. Chiflet. in Veſont.* P. I. c. 25. p. 85. Similem, veterum Chriſtianorum etiam ex diſciplina, morem fuiſſe docent *Auct. Hiſt. de duobus Chriſti milit.* „Sed Ioſaphat ſpiritualem cognouit pa„trem, characterem vultus ſeruantem eundem. Stans „ergo mox contra Orientem ſenex orauit gratias agendo

„Rerum factori, ſed et omnia facta regenti,
„Nil ſine permiſſu cuius, vel denique iuſſu
„Conſtat, ago grates, quod me defendit iniquis
„Hoſtilis turmae telis, nec non quoque probris.
„Deprecor ad Dominum, contrita mente, benignum,
„Vt qui peccantes non vult, ſed perdere culpas,
„Hos in coeleſti praebet mihi ſede videri."
Qui poſtquam orandi finem dedit, ilico ſurgens
Sex girauit equos, et virgis rite retortis
Vinciit. Hi tantum remanebant; nempe duobus
Per tela abſumtis, trinos Rex Gunthere abegit.
His ita compoſitis procinctum ſoluit, et alte
Ingenti fumans leuiabat pondere corpus.
Tum moeſtam laeto ſolans affamine ſponſam;
Moxque, cibum capiens, aegros recreauerat artus
(Oppido enim laſſus fuerat;), clipeoque recumbens,
Primi cuſtodem ſomni iubet eſſe puellam,
Ipſe matutinam diſponens tollere curam;
Quae fuerat ſuſpecta magis; tandemque quieuit.
Ad cuius caput illa ſedens ſolito vigilauit,
Et dormitantes cantu patefecit ocellos.
Aſt vbi vir primum iam expergiſcendo, ſoporem
Ruperat, absque mora ſurgens dormire puellam
Iuſſit, et arrecta ſe fulciit impiger haſta.
Sic reliquum noctis duxit, modo quippe cauallos
Circuit, interdum auſcultans vallo propiauit,

„Deo." *Tertull. Apolog.* c. 16. *Prochor. in vita B. Io. Pſeudolin.* L. II. *de Paſſ. Pauli.* „Et, his dictis, peruenit „ad Paſſionis locum, vbi ad orientem verſus, tenſis in „coelum manibus diutiſſime cum lacrymis hebraice „orauit." *Walafr. Strab. Lib. de reb. Eccl.* c. 3. *Barth. Aduerſ.* L. XLI. c. 16. col. 1846. *Trogill. Arnkiel de relig. Cimbror. Gent.* c. 28. p. 202.

1156. *Ac nudum retinens enſem*) Antiqui Germani et Celtae omnia armati peragebant. *De Vertot Diſſ. ſur l'ancienne forme des Sermens. Tomo II. Mem. Acad. Par.* p. 650. „S'il eſtoit, inquit, queſtion de preter le ſer„ment de fidelité à leurs Souverains, le prince eſtoit „élevé ſur un pavois: on luy mettoit à la main un angon „ou javelot en forme de ſceptre, et pour luy faire „comprendre qu'il alloit commander à une nation „guerriere; et les François dit *Venant. Fortunat.* L. VI. „poem. 11. en tenant leurs epées à la main, luy ju„roient une fidelité inviolable: Vtque fidelis ei ſit gens „armata, per arma iurat iure ſuo ſe quoque iure ligat. „*Greg. Tur.* L. IV. c. 46. L. XI. cap. 12, 23. Les armes „leur ſervoient d'autel et de divinité; et ils juroient „par leurs epées comme par le gage et le ſoutien le „plus ſur de leurs promeſſes."

Amm. Marcellin. L. XVII. c. 12. et L. XXXI. *Adam. Brem.* c. 30. *Gebbardi in Hiſt. Geneal. Ord. Imperii Germ.* Tom. I. p. 57. *Maſcou. in Hiſt. German.* T. II. p. 328. *Keysler Selectl. Ant. Celt. et Septentr.* p. 267.

1156. — *Precatur*) Mos Chriſtianorum notabilis fuit, vbi quis defunctus fidelium erat, non prius a cadauere diſcedendi, quam animam, iam eo liberam, commendaſſent iunctis precibus Deo. *Hericus Altiſſiod. Germanid.* L. VI. v. 194.

Vtque eſt Chriſticolis ritusque et cura ſalubris,
Functam muneribus, violenta ſorte, caducis
Commendant animam, cui viuunt omnia, Regi.
Hinc remeare parant.

Barth. Aduerſ. L. L. c. 5. col. 2340.

Exoptans orbi ſpecies ac lumina reddi.
Lucifer interea praeco ſcandebat Olimpo.
Lucens Thaprobane clarum videt inſula ſolem.
Hora fuit, gelidus qua terram irrorat Eous.
Aggreditur iuuenis caeſos ſpoliarier armis
Armorumque habitu; tunicas et cetera linquens,
Armillas tantum cum bullis, baltea et enſes,
Loricas, quas cum galeis detraxerat ollis.
Quatuor his onerauit equos ſponſamque vocatam
Impoſuit quinto, ſextum conſcenderat ipſe,
Et primus vallo perrexerat ipſe reuulſo.
At, dum conſtricti penetratur ſemita callis,
Circumquaque oculis explorans omnia puris,
Auribus arrectis ventos captauit et auras,
Si vel muſſantes ſentiret vel gradientes,
Siue ſuperborum crepitantia frena virorum,
Seu ſaltem ferrata ſonum daret vngula equorum.
Poſtquam cuncta ſilere videt, praeuertit onuſtos
Quadrupedes, mulierem etiam praecedere iuſſit,
Scrinia geſtantem. Comprehendens ipſe caualluum,
Audet inire viam conſueto cinctus amicto.
Mille fere paſſus tranſcendit, et ecce puella
(Sexus haec fragilis!) animo trepidare coegit.
Reſpiciens poſt terga, videt deſcendere binos
Quodam colle viros raptim et ſine more meantes;
Exſanguisque virum compellat voce ſequente:
„Dilatus iam finis adeſt. Fuge, Domne! propinquant.“
Qui mox conuerſus viſos cognouit et inquit:
„Incaſſum multos mea dextera ſuderat hoſtes,
„Si modo ſupremis laus deſit, dedecus aſſit.
„Eſt ſatius, pulchram per vulnera quaerere mortem,
„Quam ſolum amiſſis palando euadere rebus.

1185. *Thaprobane*) De inſula Taprobane, quae hodie vocatur *Ceylon*, vid. plura apud *Pompon. Melam.* L. III. c. 7. § 8. p. 280. *Plin.* L. VI. c. 22. *Iſaac. Voſſ. in Obſeru. ad Mel.* p. 568 ſeqq.

1189. *Armillas tantum cum bullis*) Armillae ad rem veſtiariam vetuſtiſſimorum Germanorum pertinent. Vid. *Hiſtoria mea haereditariae ſucceſſionis in Germania.* (Verſuch über die Geſchichte der teutſchen Erbfolge. Manheim 1778. bey Schwan.) Tom. I. c. 5. S. I. p. 58. *Carol. Du Freſne Dom. Du Cange in Gloſſar.* Vol. I. col 714. v. Armillum.

1189. *Bullis*) Vid. cit. *Du Cange* col. 1339.

1202. *Comprehendens*) *Comprendens.* Bieſter.

1203. *Amicto*) Amictu. Id.

1205. *Coegit*) Coepit. Id.

1213. *Eſt ſatius*) *Io. Frid. Gronov. in not. ad Gellii noct. att.* L. V. c. 18. p. 337.

1214. *Palando*) Palare Latinis dicuntur ii, qui terga vertunt; non ſatis obſeruato verbi vſu. *Barth. Aduerſ.* L. XIX. c. 16. col. 1055.

Digitized by Google

„Verum non adeo ſunt deſperanda ſalutis
„Commoda, cernenti quondam maiora pericla,
„Aurum geſtantis tute accipe lora leonis,
„Et citius pergens luco ſecede propinquo.
„Aſt ego in aſcenſu montis ſubſiſtere malo,
„Euentum operiens, aduentantesque ſalutans.“
Obſequitur dictis virguncula clara iubentis.
Ille celer ſcutum collegit, et excutit haſtam,
Ignoti mores equitis tentando ſub armis.
Hunc rex incurſans, comitante ſatellite, demens
Eminus affatu compellat valde ſuperbo:
„Hoſtis atrox, niſu deludens! Ecce latebrae
„Protinus abſiſtunt, ex queis, de more liciſcae
„Dentibus infrendens, rabidis, latrare ſolebas.
„En in propatulo, ſi vis, confligito campo,
„Experiens, finis ſi fors queat aequiparari
„Principio. Scio, fortunam mercede vocaſti,
„Idcircoque fugam temnis ſeu deditionem.“
Alpharides contra regi non reddidit vlla;
Sed, velut hinc ſurdus, alio conuertitur aiens:
„Ad te ſermo mihi, Hagano! ſubſiſte parumper.
„Quid, rogo, tam fidum ſubito mutauit amicum?
„Vt diſceſſurus nuper vix poſſe reuelli,
„Qui noſtris niſus fuerat complexibus vltro.
„Nullis nempe malis laeſus nos appetit armis.
„Sperabam, fateor, de te, ſed denique fallor.
„Quod ſi de exilio redeuntem noſſe valeres,
„Ipſe ſalutatum mihimet mox obuius ires;
„Et, licet inuitum, hoſpitii requiete foueres,
„Pacificeque in regna patris deducere velles.
„Sollicitusque fui, quorſum tua munera ferrem.
„Namque per ignotas dixi pergens regiones:
„Francorum vereor, Haganone ſuperſtite, nullum.
„Obſecro per ludos, reſipiſcito iam, pueriles,
„Vnanimes quibus aſſueti fuimusque periti,

1222. *Scutum collegit*) *Gisbert. Cuper in Obſeru. L. I. c. 12. p. 90.*

1223. *Equitis*) Loco *equi*, v ſupra. Bieſter.

1227. *Liciſcae*) Poteſt et ſupra v 402 vera lectio eſſe, quia etiam hic occurrit idem vocabulum. Bieſter.

1241. *Quod ſi de exilio redeuntem noſſe valeres*) Scil. Hildegundem. Fiſcher.

Sed fortaſſe de ſe ipſo loquitur. Quod vero ſimilius eſt, quia dicit *mihimet*, et *inuitum*, non inuitam. Bieſter.

Digitized by Google

„Et quorum cultu primos attriuimus annos.
„Inclita quonam migrauit concordia nobis?
„Semper in hoſte domique manens, nec ſcandala noſcens,
„Quippe tui facies patris obliuiſcier egit,
„Tecum degenti mihi patria viluit ampla.
„Nunquid mente fidem abradis ſaepiſſime pactam?
„Deprecor hic, abſcide, nefas, neu bella laceſſas,
„Sitque inconuulſum nobis per tempora foedus.
„Quod ſi conſentis, iam nunc ditatus abibis
„Eulogiis, rutilo vmbonem complebo metallo.“
Contra quod Hagano vultu haec affamina toruo
Edidit, atque iram ſic inſinuauit apertam:
„Vim prius exerces, Walthari, poſtque ſopharis.
„Tute fidem abſcideras. Cum memet adeſſe videres,
„Et tot ſtrauiſſes ſocios, imoque propinquos,
„Excuſare nequis, quin me tunc affore noſſes.
„Cuius ſi facies latuit, tamen arma videbas
„Nota ſatis, habituque virum reſcire valeres.
„Cetera fors tulerim, ſi vel dolor vnus abeſſet.
„Vnice enim carum, rutilum, blandum, pretioſum
„Carpſiſti florem mucronis ſalce tenellum.
„Haec res eſt, pactum qua irritaſti prior almum,
„Idcircoque gazam capio pro foedere nullam.
„Sitne tibi ſoli virtus, volo diſcere, in armis,
„Deque tuis manibus caedem perquiro nepotis.
„En aut oppeto, ſiue aliquid memorabile faxo.“
Dixit; et a tergo, ſaltu, ſe iecit equino,
Hic, et Guntharius, nec ſegnior egerat heros
Waltharius, cuncti pedites bellare parati.
Stabat quisque, ac venturo ſe prouidus ictu
Praeſtruxit, trepidant ſub peltis Martia membra.
Hora ſecunda fuit, qua tres hi congrediuntur.
Aduerſum ſolum conſpirant arma duorum.
Primus maligenam collectis viribus haſtam
Direxit Hagano, dirupta pace. Sed illam

1260. *Affamina*) *Apulei.* Lib. XI. „matrem ſiderum, „parentem temporum, orbisque totius dominam blando „mulcentes *affamine.*“ Conſ. *Du Cange* Vol. I. col. 214.

1262. *Sopharis*) Vid. ſupra not. ad v. 103.

1266. *Cuius ſi facies latuit, tamen arma videbas*

1267. *Nota ſatis*) Conſ. *Dithmar. in not. ad Taciti Germ.* cap. 6. p. 35. *Bernh. Clem. Mettingh ſtatus militiae Germ.* Sect. II. § 8. p. 93. *Gebhardi Hiſt. ordin. Imp. German.* T. I. p. 53. vbi plura de originibus rei heraldicae.

Turbine terribilem, tanto et ſtridore volantem
Alpharides ſemet cernens tolerare nequire,
Sollers obliqui deluſit tegmine ſcuti.
Nam veniens clipeo ſic eſt, ceu marmore leui
Excuſſa, et collem vehementer ſauciat, vſque
Ad clauos infixa ſolo. Tunc pectore magno,
Sed modica vi, fraxineum haſtile ſuperbus
Iecit Güntharius; volitans quod adhaeſit in ima
Waltharii parma, quam mox dum concutit ipſe,
Excidit ignauum ligni de vulnere ferrum.
Omine quo moeſti confuſo pectore Franci
Mox ſtringunt acies, dolor eſt conuerſus ad iras,
Et tecti clipeis Aquitanum inuadere certant.
Strennuus ille tamen vi cuſpidis expulit illos,
Atque incurſantes vultu terrebat et armis.
Hic rex Guntharius ceptum meditatur ineptum,
Scilicet vt iactam ſubito terraeque relapſam,
[Ante pedes herois enim diuulſa iacebat;]
Accedens tacite furtim ſuſtolleret haſtam.
Quanquam breuibus gladiorum denique telis
Armati nequeunt accedere cominus illi;
Qui tam porrectum torquebat cuſpidis ictum.
Innuit ergo oculis, vaſſum praecedere ſuadens,
Cuius defenſu cauſam ſupplere valeret.
Nec mora; progreditur Haganon, ac prouocat hoſtem.
Rex quoque gemmatum vaginae condidit enſem
Expediens dextram furto tutam faciendo.
Sed, quid plura? manum pronam transmiſit in haſtam,
Et iam comprenſam ſenſim ſubtraxerat ipſam,
Fortunae maiora petens; ſed maximus heros,
Vtpote qui bello ſemper ſat prouidus eſſet,
Praeterit vnius punctum cautiſſimus horae,
Hunc inclinari cernens, perſenſerat actum,
Nec tulit obſtantem, ſed mox Haganona reuellens.
Denique ſublato qui diuertebat ab ictu,
Inſilit, et planta direptum haſtile retentat,

1288. *Eſt*) In Mſto nota ÷
1301. *Scilicet*) *Viderat.* Bieſter.
1304. *Quanquam breuibus*) *Excuſſum breuibus.* Bieſter.
1307. *Vaſſum*) *Lex Alamann.* Tit. LXXIX. § 3. *Marculf.* L. II. form. 17. *Lex Baioar.* Tit. III. Cambro-Brit. *Gwas* ſodalis. *Du Cange Gloſſ.* Vol. VI. col. 1425.

Ac regem furto captum ſic increpitauit,
Vt iam perculſo ſub cuſpide genua labarent
Quem quoque continuo eſurienti porgeret orco,
Ni Hagano armipotens citius ſuccurreret, atque
Obiecto Dominum ſcuto muniret, et hoſti,
Nudam aciem ſaeui mucronis in ora tuliſſet.
Sic dum Waltharius vulnus cauet, ille reſurgit,
Atque tremens trepidusque ſtetit vix morte reuerſus.
Nec mora, nec requies, bellum inſtauratur amarum,
Incurrunt hominem nunc ambo, nuncque viciſſim;
Et dum progreſſo ſe impenderet acrius vni
En de parte alia ſubit alter, et impedit ictum.
Haud aliter, Numidus quam dum venabitur vrſus —

Caetera deſiderantur.

Digitized by Google